ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

Volumen Secundum

11 – – 1…

ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

VOLUMEN SECUNDUM

BARTHOLOMAEI
BEVERINII
ANNALIUM
AB ORIGINE
LUCENSIS URBIS

Volumen Secundum



LUCAE

TYPIS FRANCISCI BERTINII

MDCCCXXIX

LIBER V.

BREVIARIUM LIBRI

Rodulphus imperator libertatem etruscis urbibus vendit. Lucenses XII. millibus aureorum redimunt. discordia civilis oritur. specula in oppidis captis in Pisanorum ludibrium posita. Ugolinus comes crudeliter a Pisanis necatus. Albae Nigraeque factionum origo. Ghibellini albas, Guelphi nigras partes suscipiunt. Pisanus ager vastatur. ludi in conspectu Pisanorum acti. Portus pisanus capitur. Virginea domus e Syria in Picenum transgreditur. Pisani lucensem agrum depopulantur. pax sancitur. Carolus II. rex Lucam venit. in sacra loca hominesque plura committuntur. Caelestinus V. pont. max. eligitur. novo exemplo abdicat. Bontura Datus quis. forum ampliatum stratumque. Germania duorum caesarum bello ardet. Barga capta ac direpta. Saecularis anni origo ac religio. Albi urbe pelluntur. claustra ferrea ad itinerum aditus infixa. Pistorium a Lucensibus Florentinisque obsidetur. Serra ac Lartianum capta. res in civitate motae. Lucenses a Florentinis ad rempublicam constituendam acciti. Bonifacius VIII. a Gallis et Columnensibus capitur. Ptolemaeus lucensis laudatur. Nicolaus Pratensis cardinalis. ejus opera Clemens V. eligitur. Sedes apostolica in Galliam migrat. Florentini ac Lucenses Pistorium ob-

tinent. Urbis agrique imperium partiuntur. plebs patricios superat, imperiumque civitatis obtinet. novas leges condit. plures nobiles familias notat. Bontura Datus cum duobus aliis plebeiis triumvir reipublicae constituendae creatur. Pistoriensium contumacia frangitur. Henricus imperator in Italiam descendit. Florentinos magna clade afficit. Bontura, ne cum Pisanis pax sanciatur, obstat. Pisani Ugutionem Fagiolanum populi ducem creant. ejus mores. Lucensibus bellum infert. Seditio in Bonturam mota. Imperium civitatis Roberto regi in annum defertur. Ghibellini Lucam Ugutioni produnt. Urbem ingressus militi diripiendam concedit. Pontificum gaza direpta. Trecentae Guelphorum familiae in exilium ejectae. Ugutionis insignis ad Catinum victoria. Pisae ac Luca ab eo rebellant. Castruccius e carcere eductus populi dux creatur. Ugutio Veronam exulatum abiit.

Continet acta annorum XXX.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER QUINTUS

Memorabilis cum Etruriae universae, tum lucensi urbi constituta libertate, illuxit annus a Servatore nato MCCLXXXVI. quippe ante eam diem usurpata magis quam jure possessa etruscis gentibus fuerat: mixtaque caesarum, ac magistratuum dominatione, ita quaeque civitas egerat, ut parendi imperandique mediae, nec totam servitutem sentirent, nec totam libertatem. At ex hoc tempore, omne rerum arbitrium penes populos fuit: caesaribus ultro remittentibus quod aegre jam retinebant. Solemne in Italiam iter, imperatoriis insignibus pontificis manu suscipiendis, Rodulphus meditabatur. Sed parum ex imperii majestate futurum ratus, si tamquam in alieno, precariis populorum obsequiis exciperetur, Percivallem Fliscum in eam provinciam destinavit, ut guelpharum partium civitates, in romani im-

perii verba, ex vetere formula sacramento adigeret. Is in Etruriam profectus, guelpho nomini praecipue addictam, cum Florentiae consedisset, caeterarum urbium magistratus ad se evocatos, antiqua caesarum jura edocuit: morisque majorum admonitos, ad imperii obsequium invitavit. sed natio jam pridem dulcedine libertatis imbuta, palam contumax dicta hominis aspernari, ac imperium omne abnuere. Florentini praecipue ac Lucenses; eorumque exemplo cuncti fere tuscarum civitatum populi, imperium detrectavere. Quare Percivalles concepta in pervicaces ira, cum se extemplo Arretium recepisset, Lucenses Florentinosque cum caeteris factionis guelphae populis, romani imperii hostes judicavit. Sed cum Guelphis invisus, et Ghibellinis suspectus, quod diversarum partium olim fuisset, inter infensos dubiosque ageret, ac caesaris nomen majestatemque in dies obsolescere secum reputaret, in Germaniam regressus, quid spei in Etruscis sit Rodulphum edocet. Is haud satis ad cogendum instructus, gnarusque vanam sine viribus iram esse, solidam libertatem Tuscis remittere statuit, si certam pecuniae summam solvissent. Cum his mandatis Percivallem in Etruriam redeuntem, populi universae provinciae, ad nomen libertatis erecti, ingenti

laetitia excepere: cunctis in eam erogationem conferre festinantibus, qua salus, securitas, libertas emebatur. Lucenses, ut omnes italicarum rerum scriptores consentiunt, XII. aureorum millia; Florentini minus dimidio contulere. non mala Honorii gratia, qui imperatorum potentiam, semper pontificum majestati gravem, per id dedecus in Italiam obsolefieri, haud aegre patiebatur. Tanti pretiosissima rerum, nulloque auro aestimabilis constitit: haud facile dictu, an improvidus magis qui distraxit, an feliciores, qui tam parvo redemere. Novae libertatis gaudium cito civilis discordia turbavit: exorta inter Fatinellos Martiniosque simultate (1). Hi antiquo claroque sanguine geniti, et quod serendis saepe ex propinquo odiis aptum, in eadem vicinia habitantes, aemulatione potentiae, plebem fere universam causae suae implicuerant. itaque cum ad arma utrinque concurrissent, multis caesis vulneratisque, cruentam urbem fecere. Praetor cum in puniendis seditionis auctoribus potentiorum metu segnior fuisse putaretur, antequam magistratu abiret, rationibus suis diffisus, ex urbe clam profugit. Pacatis dome-

(1) Ann. 1287.

sticis, externa arma civitatem exercuere. Ugolinus civili potentia minime contentus, non obscuris artibus viam sibi ad Pisarum dominationem muniebat: nobiles beneficiis, plebem annona, alios alia re alliciendo. utque publice quoque gratiam iniret, Butum, quod ejus consilio, priori bello sponte ad Lucènses defecerat, recuperare aggressus; Baldino Ubaldino, Rogerii pisani antistitis fratris filio negocium dedit, ut cum delectis equitibus sub noctem ad occupandum oppidum iter intendat. Decemviri lucenses, re per exploratores cognita, Landum Buccavaccam cum copiis ad prohibendos hostes misere. qui quo tectior iret, ducto per Computi vallem exercitu, duobus in locis milites in insidiis locavit. Pisanis equitibus primam aciem praetergressis, repente a fronte ac tergo Lucenses coorti, magnum terrorem injecere. ibi atrox praelium commissum. Sed cum Pisani undique interclusi, fugae desperatione aliquandiu restitissent, magna suorum caede victoriam Lucensibus dedere. capti plures nobiles, inter quos Baldinus, ac Bonaccursus Ripafracta. Lucenses victoriam persequuti, regionem Arno flumini adjectam late depopulati, spoliis praedaque onusti domum rediere. ob eam rem prospere gestam, solemnes cursus anniversaria D. Reguli die Kal. septem-

bris instituti. Sociis quoque ac amicis juvandis eo anno vires impensae. Nam quingenti equites Neapolim ad atrebatensem regulum, qui Carolo II. adhuc in hostium custodia, Carolo Martello puero rector datus, regnum administrabat, Siciliae recuperandae submissi: Florentinique in arretina expeditione, tres lucensium equitum turmas, ex centenis singulas, in exercitu habuere. Eodem pontifex Honorius excessit: Nicolao IV. qui primus in ordinem Minorum summum sacerdotium intulit, in ejus locum suffecto. Is qui successit annus (1), etruscae humanitatis famam, immani saevitiae exemplo foedavit. Pisana res jam diu civilibus discordiis, potentiorum ambitione laborabat. tres praecipue in civitate factiones dominabantur: quarum alterius Ugolinus, alterius Galluriae praefectus Ninus Vicecomes, principes erant: tertiam Rogerius Ubaldinus urbis antistes, ordinis sui parum memor, nutu agebat. Ugolinus, cujus omnia consilia eo spectare ut solus rerum potiretur, Nino e civitate pulso, quamquam filia ipsius genito, Rogerio se se adjunxerat: ratus unum sacerdotem a reipublicae imperio religione exclusum, minus sibi

(1) Anno 1288.

obstiturum. Ninus cum se duobus imparem cerneret, Lucam exulatum profugit: initoque cum Lucensibus ac Florentinis foedere, bellum et arma in Pisanos parabat. eoque duce Lucenses cum ducentis equitibus, quos Florentini in auxilium submiserant, augusto mense in pisanum agrum profecti, ad tertium lapidem positis castris, Ascianum repentino impetu adorti, deditione oppidanorum obtinuere: pacti ut incolis sine fraude abire liceret. et ex illorum temporum more, quibus bella non pro imperio gloriaque, sed explendis odiis, rabie potius quam virtute gerebantur; Lucenses, tamquam imputarent, in fastigio turris quae altior caeteris eminebat, ingentia specula constituere: quae repercussu solis longe radios emittendo, Pisanos quotidie cladis suae admonerent: eosque ad ignaviam suam inspiciendam per ludibrium invitarent. Nini discessu Ugolinus liberum spatium nactus, solus rempublicam tenuit: donec Rogerium, fratris ejus filio interfecto, avidum ultionis in se armaret. Igitur antistitis suasu, quem dolor ac ira e caede juvenis stimulabat, cum populus ad arma concurrisset, Ugolinus ob prodita Lucensibus Florentinisque oppida, jam pridem invidia oneratus, per eum tumultum captus, turrique cum duobus liberis totidemque parvis nepotibus in-

clusus. consultantibus quo supplicio afficiendus esset, crudeli sententia, fame extingui placuit. Itaque foribus carceris ferrea sera obductis, clavibusque in profluentem Arnum projectis, tot modo opibus fortunaque florentem, innocentium filiorum ac nepotum prius squalore ac macie, dein mortibus acerbe excruciatum, miserrimo lethi genere, per summum pisani nominis dedecus necavere. Turris in atrocis facti memoriam, nomen adhuc retinet: ac exsecratione eorum quoque qui fecere, Famis titulo appellatur. Ugolini uxorem, Ranerii Panici nobilis lucensis filiam, post viri casum Lucam concessisse, annoque MCCCIX. demum extinctam, et ad D. Romani conditam, aliis alia memorantibus, apud quosdam nostrorum reperio. Ugolino sublato, Pisani cum se undique odiis hostibusque septos cernerent, Lucensibus Florentinisque, ac caeteris foederatae Etruriae populis arma in eos parantibus, imperium civitatis Guidoni Feltrio detulere; viro militari virtute per ea tempora celebri: dum civem non patiuntur, externum dominum accipere coacti. Exulabat ob illatas Flaminiae clades Avenione Feltrius: intra eam urbem pontificis jussu clausus. qui ad eum nuncium erectus, cum spretis imperiis subito Pisas convolasset, ob eam rem ipse cum pisano po-

pulo diris ac exsecrationibus devotus. quibus deinde expiandis jam senex Minorum sectae nomen dedit. Inter armorum apparatus, religionis cura non omissa: cui ostentandae insequens annus causam praebuit (1). Habendis universi ordinis, qui jam toto orbe propagatus erat, comitiis, Lucam Praedicatores legerant. itaque cum magno numero, ipsa lumina, ex omnibus provinciis in urbem convenissent, honorifice a populo suscepti; quingentique aurei (summa iis temporibus magnifica) e publico in hospitium eorum impensi. cujus liberalitatis aemulatione, privati quoque certatim opes contulere: magna lucensis nominis fama. Comitia ad D. Romani celebrata: quem locum a Cisterciensibus monachis ejus ordinis asseclae impetraverant: ex quo deinde plures doctrina ac sanctimonia illustres viri prodiere. inter quos avorum memoria Sixtus Faber, primo sacri palatii, dein supremo ordinis magistratu insignis: ac non ita pridem Angelus, nobili Ursucciorum stirpe: quem in ultimas orientis plagas profectum, Japones clarissimum religionis testem, lento igne cremavere. Interim collecto exercitu cuncta in promptu erant, cum Luca profecti Guel-

(1) Anno 1289.

pho Vicecomes praetor urbanus, et Bellobonus Guarnacinus, qui ducatum populi gerebat, pisanum agrum ad Aesarem primo excursu vastavere. inde usque ad Aquas pisanas hostiliter progressi, sub ipsa Pisarum moenia se se ostentavere; inulte subjecta urbi loca rapinas praedasque agendo depopulati. praecipua clade in Vicenses saevitum; quorum oppidum direptum eversumque. cohibuit victoriae impetum praetoris valetudo, quem in obsidione Vicensium, pisani coeli gravitas, ab hostium clade ad corporis curam importune convertit. Non minore gloria pro sociis eo anno pugnatum. Erant in exercitu Florentinorum, quo die ad Certomundum contra Arretinos praelium commissum est, praeter magnum peditum numerum, ducenti lucensis nominis equites: quorum praecipua eo praelio virtus, vincendi initium fecit. quippe primi a latere hostes adorti ballistis jaculando aciem fregere; ut vetus auctor Ptolemaeus memoriae prodidit. quamquam caeteri quoque foederatarum gentium populi strenue pugnaverint; Florentini praecipue, qui egregiam fortitudinis laudem retulere. ea victoria Ghibellinorum vires in Etruria admodum attritae; cum super caeteram nobilitatem, Gulielmus Arretinorum antistes, praecipuus earum partium dux in acie cecidis-

set. cui, ex eorum temporum labe, quibus inaugurati sacris homines sanguini ac caedibus miscebantur, plus arma quam sacra placuerant. Hoc anno primum apud scriptores Albae Nigraeque factionis mentio injecta (1): quae Pistorii exortae, totam deinde Etruriam, veluti contagione corripuere: quarum initia cognatione cladis, repetere altius operae pretium visum. Cancellarius quidam (id viro nomen) Pistorii quondam fuisse dicitur. Is modicus origine, sed industrius navusque, mercaturam exercendo tantas opes congesserat ut popularium suorum ditissimus haberetur. Duae illi uxores, pluresque ex eis liberi; nec minor ex liberis nepotum turba. qui mox, mira sobolis fertilitate in eam multitudinem excrevere, ut circa haec tempora centeni ex ea familia florentes opibus armorumque studio; inque iis duo de viginti equestris ordinis, (quod iis temporibus clarum habebatur) numerarentur. quare illorum nomen, non Pistorii modo, sed Etruria universa celebratum. sed sive ob superbiam, insitum potentiae malum, sive habendi cupiditate, qua etiam sanctissimi affectus dissociantur, aut quaecumque

(1) Ptolemaeus Lucensis in Ann.

alia causa fuerit; inter eos, quos diversa matre genitos, natura ipsa veluti ex parte discreverat, dissidia ac simultates exortae: qui ut inter se noscitarent, alteri Alborum, alteri Nigrorum cognomen usurpavere. Eos caeteri, ut quique affinitatibus aut clientelis innexi: quidam nullo praeter quam turbarum ac seditionis studio sequuti, civitatem in duas partes laceravere. et primo quidem occulte odia, mox in apertum progressa; et hoc anno initium caedibus factum, caeso ex Alborum numero Albertino Vergellesio per Nigrorum factionem, cujus tunc Simon Pantanus caput ferebatur. Quae inimicitiarum semina in praesens suppressa, undecimo post anno, totius Etruriae clade violentius erupere. Manus juvenum utriusque factionis inter se mixti, comessando ludendoque tempus, ut fit, terebant. cumque mero incaluissent, exorto jurgio, Dorus vix dum pueritiam egressus, e Nigrorum parte, Gerium albae factionis vulneravit. Albi injuria accensi cum se in ultionem compararent, Nigrique vicissim vim propulsaturi in armis essent, ac ultima civitati clades timeretur; Gulielmus Dori pater, quietis amans, ratusque inter cognatos officiis potius quam armis rem transigi posse, filium ad Gerii parentem ire, et quod per vinum ac iram in lubrico acta-

tis peccasset, excusare jubet. quod cum ille haud gravate fecisset, adeo trucem ferumque laesorum animum non mitigavit, ut immani saevitiae exemplo dexteram illi amputaverint; remissumque domum suis nunciare jusserint, factorum injurias verbis minime expiari. Id vero atrox ac detestabile Nigrorum factioni visum. Itaque in ultionem ruentes, non urbem modo, sed agrum quoque, multis caedibus invicem perpetratis cladi suae implicuere: adeo ut feminae, pueri, ipsi etiam addicti sacris homines, rabie quadam veluti limphati, in studia partium ferrentur. itaque omnia odiis, jurgiis, caede ac sanguine fervebant. Nec is furor intra eam urbem stetit; sed ubi per Etruriam vulgata res, statim civitates saeculi fato in partes scindi; aliique Nigrorum, alii Alborum nomina profiteri: Florentiae praecipue ac Lucae, quas ex propinquo malum et citius corripuit, et atrocius vexavit. ea occasione suscitatis iterum Guelphorum Ghibellinorumque factionibus acrior tempestas publicae tranquillitati incubuit. cum ghibellinarum partium homines Alborum factioni, Guelphi Nigris haesissent. Itaque scissis studiis Lucae Antelminelli, Podii, Quartigiani, Fundi, Mordecastelli albas: Obicii vero, Porcarienses, Salamoncelli, Bernarducci, Malapresii nigras partes tuendas suscepere: eo rerum successu, quem

suis temporibus memorabimus. Nunc in spatium redeuntes, ordinem prosequamur. Pisanos cum caeteris ghibellinarum partium populis ad Aretium fractos, alia insuper clades obruit. Nam Lucenses (1) perculsis instandum rati cum auxiliaribus guelpharum civitatum copiis, inter quas duo millia peditum, CCCC. equites submisisse Florentinos, auctor est Villanius, pisanum agrum augusto mense ingressi, usque ad urbis portas, nullo obviam egredi auso, processere. deque illorum temporum more Kal. septembris qui dies D. Reguli memoria lucensi populo solemnis habetur, in oculis Pisanorum, velut in pacato contemptim ludi acti, cursuque certatum. totos quinque et viginti dies exercitus in hostico moratus, cuncta late circa Pisas depopulando solitudinem fecit; Caprona oppidum captum eversumque: vallesque ad Butum Calciumque clade pari affectae. Dum haec Lucensium auspiciis circa Pisas terra geruntur, Genuenses, quibus cum jam diu foedus in Pisanos ictum cum XL. triremium classe mari bellabant, Pisanumque Portum adorti Lucensium auxilio, qui eo cum exercitu accurrerant, aliquot turres occupaverant: quarum maxima sub-

(1) Ann. 1290.

rutis fundamentis ingenti ruina collapsa, stragem late dedit, cunctis qui intus erant debilitatis aut extinctis : effractis etiam claustris portus, et in trophaeum avectis, quorum fragmina in decus posteritatis diversis locis Genuae suspensa adhuc visuntur. Interea Feltrius, qui tunc Pisanis, ut supra memoratum, imperitabat, cum octingentorum equitum manu Juliano monte superato, Massam usque ac aedificia urbi proxima, depopulando pervenit. Sed cum omnes aditus praesidiis firmatos, et si ultra tenderet, non impune futurum cerneret, occursu etiam turmae equitum, qui cum nonnullis peditum cohortibus in urbis praesidium relicti erant territus, retro signa convertit. Insequenti anno (1), praetore Mauberto Gryphio ad recipiendum Nemoris oppidum, quod Pisani proditione occupaverant, animi adjecti. quod cum ballistis machinisque biduo oppugnatum esset, ne quidem nocte ad quietem data, multa caede utrinque expugnatum. Sed tot rerum prospere gestarum gloriam, civilis discordiae initia laesere: quae modicis causis exorta, cum nobilitatem plebi suspectam reddidissent, eo tandem processere, ut pulsis principibus, rei-

(1) Ann. 1291.

que publicae gubernaculis amotis, res ad pessimos pervenerit. Erant in custodia, praelio ad Butum capti, Baldinus Ubaldinus, et Bonaccursus Ripafracta; qui quorumdam patriciorum ope effractis carceribus, noctu Pisas profugere. id ubi per urbem vulgatum, plebs paucorum culpam in totius nobilitatis crimen trahere; cunctosque invidioso potentium nomine passim onerare.« enim vero minime ferendum victorias, » quas populus vulneribus et sanguine emisset, » patriciorum proditione corrumpi. parum re- » ferre externos hostes vinci, si intra reipu- » blicae viscera domesticum bellum haere- » ret. » Nec intra querelas minasque vulgi dolor stetit: sed sumptis armis, expugnandas cremandasque illorum aedes, ad quos ea suspicio pertineret, vociferantur. ac ni populi dux cum militibus, ad inhibendum iratae plebis furorem accurrisset, is dies inter memorabiles insigni clade lucensi urbi futurus illuxerat. Sed positis armis odia retenta, quae nobiles superbia ac contumacia in plebejos alebant; ignari, ut splendore ac dignitate principes, ita plebem viribus valere: tamque diu in obsequio mansuram, quamdiu se ipsa ignorasset. Illud etiam incommodi hoc anno urbi accidit, quod Rodulphus, parens auctorque libertatis extinctus est. Vir manu belloque strenuus, quem Etruria

discrimine (1). Quibus motus Guido Feltrius, qui Pisis dominabatur, dum paria referre molitur, damna accipiendo inferendoque, non minus exercuit, quam exercitus est. Primus belli impetus Butum corripuit. exinde Calcinariam ad profluentem Arni sitam profectus, proditione occupavit, Cini Upesinghi, qui ei praesidebat insigni socordia. Non eadem fortuna in Lucensi usus. Erat in exercitu Feltrii Alexander quidam, quem veteres annales religionis desertorem ac impietate insignem indicant (2). is vasto corporis habitu ac robore virium pollens invadendi lucensem agrum partes sibi depoposcit. quare cum MCCCC. peditibus, silentio noctis in Vurni vallem per montes demissus; inde Massam usque processit; somnoque sepultos agricolas repente adortus; inter rapinas caedesque, stupra etiam ac libidines ausus, omnia turbavit. Sed ubi primum colligendi sui spatium datum, non viri modo, sed feminae quoque arreptis armis, in palantes nullo ordine hostes tanta vi impetum fecere, ut magna edita strage, pauci eorum integri ad penates redierint. feminarum praecipue furor eminebat, quae in ultionem dedecoris accensae,

(1) Ann. 1293.

(2) Ptolem. Lucens. *Apostatam, et laqueum Diaboli* appellat.

corruptorum caede integrum animum violatis corporibus testabantur. Certe una earum virilis audaciae, demissa in Alexandri caput securi, pestilentem hominem, omnisque mali auctorem insigni facinore extinxit. Eadem felicitate oppressa cohors militum auxiliariorum, quos ex Aemilia Feltrius acciverat. Quippe Gulielmus Russus parmensis, praetor urbanus de adventu eorum certior factus, cum Rainaldum Montorium paulo ante lucensis populi ducem, qui tunc Senis praeturam gerebat, admonuisset, communi consilio locati in insidias Lucenses Senensesque, in maritima Senensium ora praetereuntes adorti, omnes ad unum trucidavere. Tot jam continenti serie improsperis fracti Pisanorum animi pacem respexere missis ea de re ad Florentinos legatis. Hi ut constituta recens respublica adolesceret, otio ac quiete opus esse rati, haud gravate Pisanorum postulatis aures praebuere. Sed nihil sine foederatarum urbium voluntate statui poterat. obstabant praecipue ei consilio Lucenses; quique apud eos exulabat Galluriae regulus Ugolinus; qui certam sibi de Pisanis victoriam eripi e manibus querebantur. « eo jam superis hominibusque prementibus pisanam rem deductam, ut nisi fortunam sponte abjiciant, brevi urbem toti Etruriae gravem deleri posse pa-

» lam sit. jam iterum Florentinos Pisanis hostibus potius, quam fidelibus sociis consulere: palmamque in Lucensium manibus frangere. Pisanos tot cladibus attritos, iniquae pacis prompte leges subituros: donec refecti viribus, eadem qua petunt fide impune violent. Serpentes hyeme glacieque minime aestimandos. Venena iis torpere, non deesse. Verna temperie iras resumere, ac minari, iis quos timuere terribiles. stultae hujus clementiae poenas daturos importunae pacis auctores: victosque ac triumphatos, emissam occasionem e manibus frustra quaesituros. » Sed otii amor, non Florentinorum modo, sed caeterarum quoque gentium, quas diuturni belli jam pigebat, aures obstruxerat. « cunctique honestam pacem, cuique ipsi daturi leges essent, victoriae praeferebant. quippe non minus vincendo, urbes juventute, fiscos auro, corpora sanguine exhauriri. Tusciam tot annorum jactatione fessam quiete opus habere; parumque interesse, utrum quis cladibus an victoriis periret. » Id consilium valuit: deque foederatorum sententia insequenti anno pax in has leges sancita: ut Pisani Feltrium urbis dominatu amoverent, magistratumque in biennium crearent ex iis oppidis, quae Florentinis Lucensibusque foedere haesissent. Florentinis Lucen-

sibusque importandi exportandique terra marique merces sine portoriis toto Pisanorum imperio jus esset. exules guelpharum partium, inque iis Ugolinus Galluriae regulus, restituerentur: restitutisque bona ac jura redderentur. jussi quoque moenia castellumque ad Erae pontem solo aequare: quod paulo ante Florentinis abstulissent. perque hunc modum Pisae iterum e Lucensium manibus, sociorum injuria evasere. Sed haec, ut dixi, insequenti anno gesta. Interim civitatem tot secundis laetam, novo gaudio Carolus II. Siciliae rex, una cum regina conjuge ac liberis, e provincia Gallia in regnum profectus, adventu suo cumulavit. ingredienti urbem obviam effusi omnis ordo sexusque: cultu habituque ad splendorem luxumque composito. milites sub suis quisque vexillis. matronae virginesque pedibus choreas plaudentes. tum conviviis ludisque, ac per imitamenta belli regum adventus celebratus. nec quicquam omissum, quo clari regis patronique olim reipublicae sobolem, a splendido populo ac in fortunae flore, excipi par esset. Verum ut secundae res, animos plerumque efferre solent, justique et aequi oblivionem inducere; ita lucensis populus, alias recti jurisque tenax, et religionis praecipuus venerator, tot prosperis erectus ea commisit, ut pietatem religionemque omnem exuisse vide-

retur. Attritae tot bellis, perpetuoque in militem sumptu civitatis opes erant: angustasque etiam privatorum rationes Philippus rex Francorum fecerat, omnibus italis mercatoribus in custodiam conjectis, bonisque eorum regio fisco addictis. specie quidem, veluti populos foenore exedissent; sed vera causa, sumptus nempe in britannicum bellum, specioso praetextu tegebatur. Itaque publico consilio tributum indictum, ne quidem basilicae martinianae majorum sacerdotum collegio excepto. Ei decreto causa in speciem probabilis obtendebatur, quod castella munitionesque eorum publico impendio custodirentur: cum interea ipsi non milites in subsidium, non aurum in stipendium conferrent: sed omnibus oneribus immunes. alieno labore ac periculo tuti essent. auxerat populi spiritus romani sacerdotii interregnum; quasi praesens ultor ac vindex sacrorum deesset: religioque hominum metu, non majestate ac reverentia Numinis contineretur. Missi a decemviris tributi coactores Fridericus Christophorus, Daniel Cinaccus, Ponsus Malizardus, et Contrucius aurifex, cum sacerdotes publico nomine appellassent, exclusi repulsique ad Paganellum civitatis antistitem se contulere. ab eo cum haud mitius responsum retulis-

sent, furore ac ira caeci, sumptis armis, collecta manu in antistitis aedes irrumpunt, mortemque illi ac martinianis sacerdotibus minitantur. Paganellus quamquam ob infirmam valetudinem lecto decumbens, tamen per eum tumultum servorum manibus in hortum delatus, ac inde clam portico emissus, urbe excedens ad Quirici fanum, quod tunc Monachi tenebant, consedit. furentes interea effractis conclavium portis, ubi elapsum antistitem intelligunt, versa in obvios ira, Bonaventuram paulinianae aedis praesulem contra obnitentem ferro vulnerant. inde recta in basilicam, cellamque aeditui basilicae proximam descendunt, aras cultu spoliant evertuntque, vasa initiata sacrilegis manibus attrectant, sacra balsama effundunt; aliaque per eum furorem agunt, ut quae tot annis deinde civitatem saevis exemplis affecere calamitates sapientum judicio, iis acceptae referrentur. Paganellus in tanta religionis injuria, sacerdotalis constantiae memor, auctores consciosque ejus facinoris diris execratus, fieri sacra in urbe vetuit. quibus moti patres, satisfaciendum antistiti rati, ad eum adhuc apud Quirici fanum diversantem, duos ex decemviris Franciscum Corsum, et Bartholomaeum Sabulinum, una cum praefectis militum Manno

Pecoro, et Datone aromatario misere, qui publico nomine transigerent (1). Itaque de ejus sententia rescissis senatus consultis, quae sacerdotum immunitati officerent, sacra urbi reddita: reique ejus noxae omni religione soluti. Viduae tamque diu merenti christianae reipublicae hoc anno tandem Caelestini V. renunciatio V. nonas julii lacrymas detersit. quem sola sanctimoniae fama cognitum, Latini Ursini unius e purpuratis sententia, e silvis latebrisque extractum, in Deo proximum fastigium patres extulere. cum, toto orbe in tantae rei expectationem suspenso, eum honorem accepisset, Aquilam Vestinorum urbem, inter laetas populi acclamationes, quem ad CC. hominum millia confluxisse constat, jumento vectus intravit: duobus, Siciliae ac Pannoniae, regibus, insigni spectaculo frenum dextra laevaque ducentibus: ibique ceremoniis in pontificem maximum inauguratus, aureum capitis insigne suscepit. Verum aulae artium rudem inexpertumque rerum cum pleraque turbarent: tum vitae prioris desiderio, tum quod se tantae moli imparem sentiret, vir sanctus novo exemplo Idibus decembris summum sacerdotium

(1) Ann. 1294.

abjecit. major abdicato honore quam gesto. Dignus qui postea consecratus caelestium honoribus coleretur. Ei suffectus est Benedictus Cajetanus, quem Caelestino arbitrum rectoremque principatus fuisse constabat: quoque potissimum auctore abdicasse fama erat. vir animi elati ac excelsi; et qui se magis terrore quam religione tueretur: Bonifacii VIII. nomine per adversa et prospera christiano orbi memorabilis. Ad hunc, sive gratulatum per initia pontificatus novam dignitatem, sive alia deinde causa, Bonturam Datum a senatu missum reperio. is solers ingenio, lingua promptus, audax ac popularis animosque vulgi tractandi artifex, clarae deinde familiae famam facturus, maxima gratia apud populum pollebat: alterius factionis in quas tunc civitas divisa erat caput et princeps. nec ipse hujus potentiae dissimulator. quippe cum eum familiari sermone, ut fit, pontifex Bonifacius, veluti calliditatem malitiamque exprobraturus, apprehensa manu concuteret, fertur per jocum dixisse, illum dimidiam Lucam concutere. ob quae Dantis virulentae dicacitatis, et tunc carminum gloria florentis malignitatem non effugit (1). Per idem

(1) *Tu dignazi meza Lucca* Landin. in Canticum XXI. Inferni Dantis.

tempus, quietis ab externo hoste rebus, domi turbatum. sed armorum praefectis (quem D. Petri majoris senatum, quod in ejus Divi aede haberetur appellabant) cum populi duce accurrentibus, tumultus sedatus; ac in auctores ejus consternationis animadversum. Apuae quoque, dum Bartholomaeus Fatinellus, qui reipublicae nomine ei oppido praeerat, in noxios legum severitatem exercere parat, seditio exarsit: parumque abfuit, quin furentium manibus publica majestas violaretur. quo tempore, Ottoboni fratrumque, qui per eum tractum Catanorum nomine imperitabant, fides in lucensem populum enituit. quippe eorum auxilio praefectus servatus, captique ejus noxae auctores, ac pro meritis supplicio affecti. Proceres Nicolai Tegrimi sententia in civitatem allecti, honoresque ac immunitates concessae, jusque deferendi arma tota lucensi dominatione datum, cum reipublicae causa plura sibi odia conflassent. Eodem anno pace jam cum Pisanis composita, tres sagittariorum cohortes, Galluriae regulo cum Pisanorum ac ex reliqua Etruria copiis, in Sardiniam proficiscenti submissae. iis praefecti dati Rolandus Pinellus (cujus posteri Genuae, eo Luca profecti, opibus honoribusque florent) Jacobus Marsus ac Guido Bujamontius. Vexilliferos e flore nobilitatis

fuisse reperio Cionem ab Arcu, Nerium Costorium et Colucium Malugium Obiciorum stirpe. quibus una cum regulo, Sardi caeli gravitate extinctis, ea expeditio infelici exitu soluta, bellumque omissum. Bellicis sumptibus laxata republica, ad ornandam urbem curae adjectae. Forum (1) cum pro majestate populi angustum videretur, ei laxando hospitalis domus basilicae D. Michaelis contigua eversa, aliaque in Caldoriae vico in eumdem usum attributa. area vero laterculo coctili opere spicato constrata: ad operis decus ac firmitudinem, continendo testaceo pavimento, zonis e caeruleo marmore interjectis: crepidine gradibusque ad ejusdem fori ascensum eodem lapide extructis: in eam amplitudinem quae nunc cernitur. Augustiorem profecto speciem habiturum, nisi basilica ingens magnum illius spatium complexa, officeret, quo minus totum ad oculos intuentium accedat. Longe utilius in novae libertatis tutelam pecunia collocata. Adolphus qui Rodulpho successerat, jus imperii in Etruria imminutum haud aequo animo patiebatur, itaque veterum caesarum exemplo, Joannem quendam Gabellionem in Tusciam de-

(1) Ann. 1296.

stinavit; qui prisco more eos populos in romani imperii nomen adigeret. Tusci clam cum pontifice agunt, quo conscio ea tentari suspicio erat, si ad excutiendnm caesarum jugum auxilio sibi esse velit, quam Adolpho daturi sint, eidem pecuniae summam ad LXXX. aureorum millia repraesentaturos pollicentur. Bonifacius simul italicae libertatis amore; simul pontificum majestati supra caesarum fastigium attollendaé, probato consilio, Joannem officiis, collato in germanum ipsius leodiensi sacerdotio, delinitum, tusco auro vacuum in Germaniam remisit. Summa pontifici numerata, in qua Lucenses duo de viginti millia contulere. Eidem pontifici, non pecuniae modo, sed etiam militum subsidium impensum. exarserat inter ipsum, duosque purpuratos e Columnensium stirpe, Petrum ac Jacobum, adeoque cum tota columnensi familia, quae tunc quoque inter principes plurimum poterat, grave dissidium. Offensus erat purpuratis columnensibus Bonifacius, quod Caelestino abdicandi sacerdotii consilia agitanti, diu obstitissent (1). et quamquam deinde suffragium illi tulerant, plus dilati injuria, quam accepti pontificatus beneficium in hominis memoria valebat. hinc eorum votis difficilem se

(1) Ann. 1297.

ac morosum praebere: simulandi ac dissimulandi ignarus, palam saepius negare: unde in privatis sermonibus crebrae Columnensium de pontifice querelae, ac in senatu dissensiones. cumque hinc Bonifacius ingenio ferox, inde vetusta nobilitate ac opibus superbi proceres, nihil de summo jure remittunt, res in arma ac in apertum bellum eruperat, nec quicquam propius factum, quam ut purpura senatoribus adempta, cuncta Columnensium ditionis oppida per vim capta diriperentur, alia everterentur: editis etiam legibus, quibus ad posteros ei familiae nota inurebatur. In eo rerum tumultu, cum pontifex, tamquam in barbaros, sacrum bellum indixisset, misso in Etruriam Matthaeo e purpuratis, qui auxilia colligeret, Lucenses literis pontificis nominatim appellati, insita romani sacerdotii veneratione DC. militum manum submisere. et victoria quidem penes pontificem fuit: sed qua deinde sibi turbas mortemque, ad extremum aegritudinis ac invidiae plenam conflaverit. Dum Italia pontificio bello ardet, Germania duorum caesarum factionibus ad arma ierat. Nam cum Albertum austriacum Rodulphi imperatoris filium, nonnulli e septemviris, abrogato imperio ei qui regnabat Adolpho, caesarem consalutassent: alter retinendae, alter quaerendae potentiae cupidus vim

paraverant. Sed cum commisso praelio Adolphus inter primos dimicans occubuisset, Albertus et sua et patris memoria carus, solus rerum potitus est (1). Inter pontificum regumque arma, idem qui principes furor, modicas gentes, et de parvo imperio certantes exciverat. In provincia feroniensi controversia de finibus exorta, Bargaei, Silicenses, ac Trepinianenses in armis erant. ei componendae missus a senatu e prima nobilitate quidam ex Obiciorum gente: qui cum, causa cognita, pro potestate terminos statuisset, eo Lucam profecto Bargaeorum nonnulli, insita superbia, luce palam insigni audacia refixere. quare iterum crudescentibus odiis, multa caede hinc inde saevitum. Patres intellecta re, Gozelinum Auximatem praetorem urbanum cum duobus praefectis militaribus, manuque duum millium ac septingentorum militum, ad contumaces puniendos ire jubent. qui cum oppidum obsedissent, pluries oppugnare adorti, oppidanis strenue se tuentibus, irrito incepto absistere coacti. Praetor ab oppugnatione ad vastandos agros versus, cum flamma segetibus injecta, caesisque passim arboribus magnam stragem late intulisset, quod eo facto spectaverat, discordiam inter oppidanos con-

(1) Ann. 1298.

civit; dum alii damno moti deditionem facere, alii conscientia perseverare contendunt. quod ubi cognitum, praetor resumpta oppugnatione oppidum parvo negocio obtinuit diripuitque, missis Lucam vinctis temeritatis auctoribus, et ad minuendos feroces populi spiritus, moenibus oppidum nudatum. Eodem anno civitas ab ea parte quae inter meridiem occidentemque sita est, novis aedificiis vicisque aucta. ad ea extruenda hortorum pars a monachis Praedicatoribus pretio redempta: novique horti e Templariis equitibus coempti monachis assignati. praefuere operi duo ex decemviris Monus Saracenus et Opizus Carincionus: eoque urbem nobilitatam, qui id spectavit Ptolemaeus est auctor (1). Insequens annus (2), praetore Gulielmo Magio brixiensi, recuperandae dominationis in lunensi provincia, quieta ab externis armis civitate, facultatem praebuit. Ula (Gulam veteres annales scribunt) oppidum est lunensis tractus ad Macram flumen, non longe ab Apua situm. id a regulis Malespinis olim occupatum, Antonius lunensis antistes hoc anno cum illis ademisset, Lucenses veteres domini, armis ab antistite vindicavere, Ugolino populi duce

(1) Ptolemaeus Lucen. in Annal.

(2) Ann. 1299:

in eam rem misso. auctum quoque eo anno reipublicae imperium, allectis in civitatem dynastis, qui Dallo in provincia feroniensi, quique Alborum nomine Graniano imperitabant: ea conditione, ut eorum ditionis oppida, Lunensium legibus uterentur. Nigrae quoque factionis homines Alborum vi Pistorio pulsi, Lucam velut in tutam stationem confugere. Utque paulo ante urbs, constrato foro vicisque, ac aedificiis adjectis ornata fuerat; ita hoc anno, eodem Ugolino populi duce, operis curatore, viae publicae extra urbem munitae ampliataeque.

Celebris saeculari religione excepit annus MCCC. quam hactenus opinioni famaeque nixam, placuit in posterum lege sancire. Manaverat sponte in vulgus jam antea rumor, novo saeculo ineunte, vaticanam ac ostiensem basilicam rite adeuntibus, omnia criminum piacula ex vetere instituto solvi: quo ad Bonifacium pontificem perlato, non temere visum quod tam publice consensu affirmaretur. sed vestigatis veterum monumentis, sive scribendi desidia, seu vetustatis injuria, per bella ac romani sacerdotii secessiones, tabulariis direptis incensisque nihil repertum, quod eam famam juvaret. Sed vix Kalendae januariae adfuere, cum ex urbe tota, velut instinctu, passim in basilicam vaticanam populus confluere, sacris

Apostolorum cineribus advolvi noxarum veniam ad aras implorare. Eadem religione ex finitimis oppidis, mox ex longinquis transalpinisque regionibus in dies peregrinantium turba adventare. nec deerant, magno natu, qui affirmarent, se eam famam a majoribus accepisse; uno etiam ac altero se prioris saeculi celebritati interfuisse testantibus. magno sacerdotum miraculo, qui discenda ex ipsis, aliorum magisterio docerentur. Ubi satis patuit, eum animorum motum, non nisi divinitus fieri, fidesque ac religio testium aderat: Bonifacius literis VIII Kal. martii datis, centesimum quemque annum, solemnem noxis solvendis haberi jussit. quod spatium sequuti pontifices, quo plures fruerentur, contractis annorum numeris subinde mutavere, donec intra quintum, et vigesimum constitit. Caeterum hoc anno, tanti hominum concursus ex universo terrarum orbe Romam extitisse dicuntur; ut interdum ducenta hospitum millia censa fuerint: omnis sexus, omnis aetatis certatim eo confluentibus. tantumque stipis ante aras ab advenis jactum ferunt, ut ex aereis assibus supra quinquaginta aureorum millia redactum sit. quibus praedia in pauperum, templorumque usus coempta. Haec religio, sive Judaeorum exemplo inducta; quibus quinquagesimus quisque annus pia-

cularis erat: nec Jubilaei vox, qua haec celebritas appellatur, judaicam originem abnuit: sive pontifices maximi ethnicorum superstitionem, qua saecularis annus celebris habebatur, ut pleraque antiqui moris sanctiore ritu sacravere. Nec tamen publicae religiones, efferatos jam Tuscorum animos factionum rabie, a caedibus ac incendiis averterant. Ipsis Kal. januarii, qui dies etiam si saecularis abfuisset, sua veneratione augustus et sanctus mortalibus est, Bacciomaeus Ciapparonus et Boncius Antelminellus, Obicii, Obiciorum stirpe, praeter generis nobilitatem, peritia divini humanique juris clari, caede foedavere. ea caede, quam et viri claritudo, et temporis sanctitas indigniorem reddebant, Obicii cum cognatis clientibusque, statim ad arma iere. nec ex altera parte cessatum: Albaeque factionis homines Antelminellis, nigrae Obiciis opem tulere. Sed cum Obicii valuissent, Albi urbe pulsi: Antelminellorumque aedes ad D. Martini eversae, flammisque absumptae. area sive in facti memoriam, sive alia causa, lapidibus sectis constrata, ferreisque repagulis clausa. qua die Raynutius Mordecastellus, quippe ob ejus familiae lites cum Obiciis ea caedes facta dicebatur, totius rei ignarus, cum ex agro reverteretur,

animis in ultionem accensis, securi percussus, alienae noxae poenas luit. Per eam seditionem Gerius Antelminellus cum uxore Pucia, ac adolescente Castruccio, amplam deinceps scribendi materiam nobis daturo, Anconam exulatum abiit. Ubi paulo post animi aegritudine cum conjuge extinctus, filium fortunae reliquit, cujus tunc alumnus, deinde pene dominus extitit. Eadem clade Ciapparonum Fundorumque domus ad D. Gervasii portam in vico qui Fundus dicebatur, dirutae ac incensae; quas ad centum fuisse Villanius scribit. Per id tempus suspiciones olim adversus nobilitatem exortae in majus auctae: civiles turbas, qui nigrae factionis Pistorio Lucam concesserant, juvantibus. Ea occasione prohibendis armatorum excursionibus, claustra ferrea ad itinerum aditus per urbem in angulis domorum infixa, seraeque adjectae: quarum passim vestigia in perfossis lapidibus visuntur. et quia Obicius Pisanorum instinctu interfectus putabatur, vetitum ne cui Pisano, intra Vurni, Computi, Massae, Arliani, Nuptianique fines habitare jus esset. quodque exitiale civitati, cladiumque mox insequutarum initium fuit, popularis factio, cujus Obicii principes erant, quorumque arbitrio, pulsis aemulis, res gerebantur, obtinuit ut patricii a ma-

gistratibus, atque reipublicae administratione amoverentur (1). quae in annum insequentem a quibusdam rejecta, nos Ptolemaei auctoritatem sequuti in hoc tempus contulimus. Haud minore civilis discordiae flamma Florentini ardebant, Nigrorum, Alborumque factionibus (2): quas caelestium irae, tota Etruria contagione vulgaverant. cui extinguendae, Bonifacius cum frustra se Matthaeum e purpuratis misisse reputaret; eorum quae semel coepisset pertinax, majorem opem implorandam ratus, Carolum Valesium Philippi regis fratrem in Tusciam e Gallia excivit. quem hoc anno ex Alpibus in Italiam descendentem, Lucenses magno honore excepere: pecunia, multaque purpura ipsi conjugique liberaliter dono data. quippe regio sanguine editum, Tusciaeque pacandae cum imperio praefuturum, sapientiae erat officiis occupasse. Is vitata Florentia, cum ad Bonifacium in Hernicos Anagniam recta se contulisset, inde in Etruriam reversus, permissoque ei florentinae reipublicae arbitrio, quam pacare debuerat, novis turbis involvit. Carolo in Siciliam profecto, Albi exules qui Florentia

(1) Villan. lib. c.
(2) Ann. 1301.

Lucaque pulsi, Pistorium, ubi ea factio praevalida, se contulerant, eam urbem a Lucensium Florentinorumque societate divellerant. Itaque belli arcem, adversaeque factionis receptum expugnandum rati, Lucenses Florentinique antiquum foedus renovant, cujus summa ea fuit: ut ex sua quisque parte Pistoriensem agrum aggrederentur. ex quo tempore frequentes utrinque in eum excursus ac populationes, praedisque ac incendiis saevitum. adjuvabant nigrae factionis exules, qui montanam regionem occupaverant: quorum instinctu Lucenses magnis peditum equitumque copiis eo profecti, primo adventu Luciano potiti, ad obsidendum Pupillium perrexere (1): sed castris ex adverso positis, iniquitas loci maxime obstabat. quippe inter oppidum stationesque fluvius interfluens, transitum prohibebat. nam nec transmitti vado poterat, pontemque illi impositum, oppidani valido praesidio tuebantur. Itaque tota belli ratio, oppugnando tuendoque ponte constabat: multique utrinque quotidie caedebantur; dum hi audacter tentant, illi obstinate aditu arcent. Pistorienses, audita Pupillii obsidione, armatis raptim urbanis militibus, in auxilium advolant:

(1) Ann. 1302.

positisque trans fluvium castris, ex adverso Lucensium consedere. Lucenses cognito eorum adventu, cum major, quam pro opinione belli moles appareret, novis copiis ex urbe accitis, tum vetera castra augent, tum nova supra hostium stationes locant; iterque occupant, unde subsidia et commeatus castris Pistorio submittebantur. Hostes ubi se interclusos vident, desperatis rebus, occultae fugae consilium capiunt: ac nocte intempesta silentes per devios notosque calles, sentiente nullo abeunt: castris impedimentisque in speciem relictis. Lucenses orta die cum de more ad oppngnandum pontem subissent, desertum fuga hostium vident. eoque superato, ad castra hostium progressi, solitudinem ubique ac silentium animadvertunt. Itaque munitiones ingressi cuncta diripiunt incenduntque: captis aut caesis, quos ejus consilii ignaros somnus oppresserat. Oppidani ubi dilapsa auxilia, hostesque castris potitos intelligunt, nulla jam obsistendi spe, et ipsi deserto oppido, fugam per montes arripiunt. itaque Lucenses ingressi portas, domos diripiunt. impositoque arci praesidio, suae factionis hominibus incolendum tradunt. tum ad caetera montanae regionis oppida occupanda progressi, nullo negocio obtinent, nemine obsistere auso: pulsisque albatarum partium hominibus, Nigros

substituunt: arcibusque ac munitionibus praesidio imposito, Lucam praeda gloriaque aucti, triumphantium specie revertuntur: ibi paucis diebus reficiendo militi ad quietem datis, felicem armorum cursum prosequendum rati, ipsum albatae factionis caput Pistorium aggredi statuunt: missique ea de re Florentiam legati, ut communi consilio bellum gereretur. itaque junctis copiis ad obsidendum Pistorium ea aestate perrectum. Lucensium exercitus X. millia peditum DC. equites: Florentinorum VI. peditum, mille equites explebat. Cum his copiis junio mense Lucenses urbe profecti, primo die ad Victorinum montem progressi, ea nocte stativa ibi communiunt. inde in pistoriensem agrum transgressi, locatis ad mille passus ab urbe castris, ad Bonellae pontem consedere. Florentini ex altera parte, primis castris ad Umbronem fluvium positis, mox se se Lucensibus junxere. totos XX. dies in obsidione perseveratum; late interim vastatis agris, quo facilius obsessorum animi, ad deditionis consilia inclinarentur. Sed urbs praesidio valida, ac Tolosati Uberti, florentini exulis, cui armorum imperium Pistorienses detulerant, virtute freta, oppugnationis vim egregie substinebat. quare cum multi temporis laborisque opus appareret, Lucenses

ad Serram obsidendam, certiore potiundi spe, aciem convertere. Serra oppidum est non longe a Naevula amne, ad quartum a Pistoriensi urbe lapidem, jugo montis qui septemtrionem spectat impositum. a meridie alter mons prope attollitur, quibus utrinque iter in angustas fauces compellentibus; inde arce, hinc abrupto montis latere saltus urgetur. isque locus tum naturae ingenio, tum operibus manu adjectis, ejus regionis claustra habentur. Id Lucenses expugnare aggressi, in bina castra copias divisere; quorum altera in superiori colle, altera in via qua Castellinam oppidum iter est, locata. Tertia Florentinorum pistoriensi viae apposita, vetus Pistoriensium rerum scriptor memorat: contra Villanii fidem, qui a solis Lucensibus Serram obsessam captamque, nulla externa ope memoriae prodit. hac veluti laxiore indagine clauso oppido, Morovellus Malespina, penes quem Lucensium armorum imperium erat, tormenta machinasque muris admoveri jussit, ac diu noctuque, nulla ad requiem data mora quati. praecipuam oppidanis pestem, ingentis ponderis saxa tormentis excussa inferebant: quae ubi vis destituerat, ut in quodque incidissent, tecta ac tabulata domorum perfringendo, late stragem ruinamque dabant. oppidani aedificiorum ruinis damnoque

moti, haud dubie ad deditionem spectare: sed nobiles pistorienses, qui ad primam obsidionis famam eo se contulerant, obstabant. eosque novi subsidii spe alebant. itaque non contenti pro moenibus turribusque pugnare, crebris etiam eruptionibus obsidentes turbabant. quibus prohibendis, Lucenses pluteis (1) valloque oppidum ita undique clausere, ut nemo sine mortis aut servitutis periculo exire posset. tum ligneae turres extructae, ut e loco superiore tela in propugnantes majore vi ingererentur. nec minus intus ex inopia bellum, multitudine annonam in dies deterente. inter haec mala, nonnulla spes melioris fortunae affulsit. Nam Pistorienses per occultum nuncium, quo loco res essent admoniti, copiis in duas acies distributis, ultima ausuri se se ante castra Lucensium obstentavere. eo conspectu mire animi obsessis elati. itaque duce Vanne Barelia, ingenti alacritate ad CCCC. porta erumpunt, vallos pluteosque perfringunt, Lucensesque a tergo copiis auxiliorum clausos, a fronte adoriuntur. atrox ibi praelium commissum, multique utrinque caesi vulneratique. Sed cum oppidani equitum impetum minime substinuis-

(1) Bertesche.

sent, non sine clade in oppidum celeri fuga se recipiunt. quod ubi ab iis, qui in subsidium advenerant animadversum, caedesque ac fuga Serranorum in oculis erat, et ipsi conversis signis fugae praesidium capiunt. in quorum tergis nostri haerentes, partim caedunt, partim capiunt: caeteris per agros, qua quemque suus timor agebat dilapsis. Tum vero omnis oppidanorum spes collapsa: et premente annona, omnia in dies arctiora erant. quare missi in castra qui deditionis leges cum Malespina paciscerentur. Is advocato ducum consilio, cum postulata oppidanorum exposuisset; variantibus sententiis, aliis alia consulentibus, rem integram ad senatum rejecit: responsumque legatis, iis conditionibus usuros, quas senatus populusque lucensis dedisset. Acta in senatu res; tandemque in eam sententiam factum senatus consultum: exteris abeundi incolumes potestatem dari. oppidanos, ac Pistorienses non alia lege recipi, quam si lucensis populi misericordiaè se permitterent. id ubi per oppidum vulgatum, cunctos moeror ac desperatio incessit: haud alio quam eorum qui certae morti addicti sunt, animorum habitu. « alii ex ipsa desperatione animum capiendum dicere: factoque » agmine, eruptionem in castra hostium tentandam. ita nec omnes victuros, nec omnes mori-

» turos. si iis legibus se dedant, pecudum more » sine ulla misericordia mactandos: aut, quod » aeque malum, in servitute vivendum. alii ad » preces et lacrymas versi, iterum experien- » dam ducis clementiam ajebant». quod cum valuisset, alii atque alii subinde legati in castra missi. Sed ubi obstinatum in sententia perstare vident; nec aliter facturum quam quae senatus populusque imperasset; cum praeterea advenas qui in oppido erant, privata consilia de salute sua capere sensissent, ultima necessitate victi, se ac sua misericordiae Lucensium permisere. Malespina e primoribus popularium obsidibus acceptis, omnem exercitum armari jubet, delectisque equitum secum assumptis oppidum intrat; praesidium arci imponit; insignia lucensis populi in portis ac turribus statuit, tum ne quis indigena aut Pistoriensis advenarum nomine falleret, notoribus adhibitis, peregrinos oppido excedere, ac extra castrorum ambitum deduci; oppidanos Pistoriensesque vinciri, ac Lucam duci imperat. deinde ad caetera ordinanda conversus, veteri arci novi operis murum objicit: novamque munitionem ad continendos recens perdomitos, ab occidente extruit: lectorum equitum peditumque manu in praesidium relicta. hoc modo Serra, quarto fere mense post quam obsideri

coepta, in lucensis populi potestatem venit. Serra amissa, nullum oppidum in Lucensium finibus Pistorienses tenebant, quod momentum facere posset, praeter Lartianum; quod ad Naevulam amnem situm, pari ferme spatio Summanum Stabiamque interjacet. Id quoque occupari e republica visum. Itaque cum exulibus nigrae factionis communicata re, ubi paratos esse Lucenses intelligunt, spe ac promissis ad negocium strenue obeundum hortantur. illi quos ex oppidanis fidos sibi fore credebant, arcanis literis feminarum ministerio delatis admonitos, in conscientiam conjurationis pertrahunt. Dum res utrinque comparantur, ultra duos menses dilatum. quo tempore tam callide a conjuratis, quae in rem erant provisa, ut nulla suspicio ad alterius factionis homines permanaret. Ubi matura res visa, duo juvenes e numero exulum feminea veste induti, gramineis fascibus de more capiti impositis, sub vesperam oppidum intrant: consciisque conventis, Lucenses paulo post affore nunciant. Lucenses ex condicto adsunt, editoque signo, quod inter ipsos convenerat, muros scandunt, portas occupant, custodias e muris deturbant, obsistentes obtruncant. interim qui foris adstabant, alii securibus portas perfringunt, alii scalas admovent, ac in moenia evadentes vexillum lucensis populi statuunt.

ejusque nomini fausta acclamando, oppidum clamoribus complent. oppidani ea vociferatione territi, oppidum captum ante quam sentire possent aspiciunt. tamen raptim sumptis armis, alii ad moenia, alii ad portas impetu ruunt. Sed a consciis qui in muris erant, sagittis missilibusque arcentur: donec, effracta porta, omnis exercitus in oppidum immissus. tum vero desertis domibus, alii capiuntur, alii in arcem confugiunt: ac munitione loci tuti Pistorienses admonent « oppidum fraude captum ab hosti-
» bus teneri; arcem in sua potestate esse.
» proinde si maturent subsidium ferre, brevi
» amissa recuperare posse. Sed salutem omnem
» in festinatione sitam esse. » Pistorienses ad eum nuncium pedites equitesque armari jubent, citatoque agmine in subsidium accurrunt. Lucensium copiae ut adventantes exciperent in occursum progressae, ubi in conspectu hostium fuere, consistunt. idem ex altera parte factum. mox parvis velitationibus utrinque pugnae initium datum: donec ad gladios cominus ventum: et vir viro, enses ensibus, scuta scutis propellebantur. ibi atrox praelium, pluresque caesi vulneratique, cum certi ictus destinarentur. donec Pistorienses nostrorum impetu propulsi obturbatique terga vertunt. Capti ex eis aut in acie caesi ad CCC. Lucenses victores in op-

pidum reversi, arcem deditione recipiunt. incolis Pistorium salvis abire permissis. inde praefectum oppido, praesidium arci imponunt, colonosque ad locum frequentandum suarum partium transcribunt. mox cum pluribus captivis praedaque Lucam reversi, civitatem ingenti gaudio affecere; magno ea jactura Pistoriensibus stetit. cum jam a duabus partibus, subvehendis in urbem commeatibus, intercepto itinere, unus tantum aditus, qua ab Apennino per Sambucam iter est, pateret. Multoque magis paulo post eorum res in angustum coactae, Montali oppido amisso, quod e praecipuis unum restabat: cujus per fraudem Florentini potiti, occupandae una cum Lucensibus civitati viam munivere. Interim tamen auxilium in re trepida Florentinis latum, ingens ad victoriam momentum fuit. Cum eorum civitas domesticis discordiis laboraret, exules albatae factionis, Bononiensium ope, quos eadem partium contagio pervaserat, collecta VI. millium peditum, DCCC. equitum manu, Muciallam (1) hostiliter intraverant. Ea regio sita est ad XIV. a florentina urbe lapidem ad Apennini montis radices, fertili et amoeno solo,

(1) Mugello.

quam Sevis fluvius ex eodem Apennino ortus mediam secat. Ibi Puliciano occupato, arcem quoque arcta obsidione cinxerant. quippe satis constabat, ea expugnata caetera ejus tractus oppida victoriam sequutura. qua ratione ad ipsa Florentiae moenia tutum iter patere. Id ubi Florentiam nunciatum, statim, quam maximas in eo tumultu colligere potuere, copiis profecti. adfuere quoque submissa a Lucensibus auxilia: quorum adventu Bononienses territi, solutis ordinibus fugam arripiunt. Eorum discessu fractis exulum animis, pugna minime tentata, per tenebras dilapsi oppidum deseruere: impedimentis armisque etiam relictis, quo expeditior fuga esset. caesi tamen captique nonnulli e primoribus, cum in equites incidissent, qui ad exploranda loca missi fuerant, ex eisque Donatus Albertus securi percussus: ea lege, quam ipse in magistratu paulo ante tulerat.

Dum Lucenses a domo bellando absunt, res in civitate motae (1). Joannes Trinciavellus, captata opportunitate, exules albatae factionis intra urbem accipiendos susceperat: ita cum ejus proditionis sociis constituta re, ut incen-

(1) Ann. 1303.

dio diversis locis noctu excitato, dum populus ad opem ferendam frequens accurrit, ipsi D. Frigdiani porta occupata, perduelles intromitterent. Jamque subjecto igne, aliquot ab ea parte aversa loca ardebant: cum ad occupandam portam profectus, dum claustra molitur, custodibus hostes adesse clamantibus, concursu populi facto, irrito incepto destitit. tectusque tenebris per eum tumultum elapsus una cum sociis facinoris Calamecam, montanae Pistoriensium regionis oppidum profugit. Unus Punsus Malizardus, cum luxato pede sequi non potuisset, cum facibus malleolisque comprehensus, ac in custodiam traditus. ex eo, quaestionibus habitis, totius sceleris ordo cognitus. Nec multo post missus Tomucius Sandonus cum trecentis peditibus, cum nocte intempesta per devios calles improvisus supervenisset, oppidum repentino impetu cepit. Proditores semisomnes, ac inexpectato malo attoniti, cum multis oppidanorum capti: ipsum oppidum, tanquam proditionis asylum, direptum incensumque. de Trinciavello statim supplicium sumptum. reliqui Lucam deducti, paulo post una cum Malizardo securi percussi. Nec eo anno haec tantum Pistoriensibus clades illata. Sed cum Florentini, ut paulo ante memoravimus, Montali potiti essent, Lucenses junctis copiis,

ad moenia Pistorii se se ostentavere, lateque circa vastatis agris, nullo prohibere auso, impune domum reversi sunt. numerus socialis agminis VI. millia peditum, equites mille sexcentos explebat. Majorem Florentinis socialem fidem ostentandi occasionem, fortuna eorum per id tempus lucensi populo praebuit. res inter clarissima quae reipublicae nostrae acciderunt praecipue memoranda, in hunc modum se habuit. Recruduerant acrius in ea urbe discordiae Cursi Donati ambitione: qui nigrae factionis princeps, auctoritatem suam communicata cum aliis potentia obsolefieri indignum ratus, albarum partium hominibus, qui in civitate restiterant, se adjunxerat: dominandi cupiditati, publicum bonum obtentui: quasi interversis reipublicae rationibus, quas inspici putarique flagitabat. utque major ex religione conatibus suis species esset, ad Lotharium civitatis antistitem, albatae factionis studiosum, totius rei principatum detulerat: qui seditionis caput effectus, quorum pacis concordiaeque auctor esse debuisset, turbas irasque alebat. in tantum ut sumptis utrinque armis, ex ipsa majoris basilicae turri, unde homines ad sacra religionesque vocari mos est, ballistis tormentisque tela in adversarios excuterentur. Itaque caedes ac latrocinia in dies fiebant: in-

validisque jam legum ac magistratuum auxiliis, velut in capta urbe, omnium scelerum impunitas erat. Nec ea labes intra urbem constiterat: sed capitis exemplo reliquum corpus insanibat: caedibusque ac rapinis passim ager ac municipia infesta erant: nec dubium quin respublica ad interitum spectaret, nisi Lucenses afflictis, ac pene perditis rebus in tempore succurrissent. acciti ne publico consilio, an sponte advenerint, haud exploratum sibi Leonardus Arretinus scribit: dissimulata Villanii fide, qui rei praesens interfuit, disertisque verbis, publice advocatos memoriae prodidit. quasi genti suae inglorium ratus, si ad alienas opes confugisset: deterendaeque Lucensium gloriae, quorum dum viveret parum amicus fuit, eam famam maligne suppressit. Lucenses magno peditum equitumque numero Florentiam profecti, custodiam imperiumque civitatis, siquidem fructuosus eorum adventus futurus sit, sibi deposcunt. quod quamquam grave, tamen necessitate adacti, Florentini Lucensibus rempublicam permisere (1). Itaque dies XVI. florentinae urbis imperium libere Lucenses tenuere: edictaque in publicum lucensis populi nomine proponebantur. Id aegre nonnulli ferebant, quasi servitus ac reipu-

(1) Villan. lib. 8, c. 68.

blicae amissio ea ratione exprobraretur. Itaque Ponciardus quidam plebeii ordinis, cum praeconem lucensis populi nomine edicentem, populari licentia vulnerasset, e salute sociorum visum, ut omissa specie vis et potestas retineretur. Prima firmandae concordiae ratio, ut pulsis urbe praecipuis seditionis auctoribus, omnis praeteritorum memoria, celebri Graecorum exemplo, aboleretur: neque cuiquam facti dictive cujuspiam crimen fraudi esset. tum caetera eadem sapientia constituta; novi magistratus creati, caeteraque ita composita, ut pax ordinum positis armis discordiisque consisteret. Itaque intra id temporis spatium, bonorum sociorum officio functi Lucenses, servatae tam nobilis reipublicae laude insignes Lucam rediere. Qua in re indignari subit nostrorum hominum incuriam; qui et quorum consilium constituta Florentinorum respublica, et quibus familiis geniti, ne gloria ad posteros perveniret, silentio transmisere. Quin ea fuit in lucensium rerum scriptoribus socordia, ut nisi apud socios beneficii memoria valuisset, egregii facti recordatio interitura penitus fuerit. nisi si forte benefacti conscientia contenti, praedicationem, ut probos decet, accipientibus reliquere. Haec, quamquam insequentis anni initio gesta, cognatione rerum in hunc locum

contulimus: nunc hujus anni reliqua prosequamur. Praeter graves inimicitias, quas cum Columnensibus Bonifacius pontifex susceperat, simultas quoque cum Philippo Francorum rege accedebat: acrioribus utrinque odiis, quanto major ante amor exliterat. quae in tantum scelus erupere ut a Gallis ac Columnensibus, dum Bonifacius Anagniae, vitandis urbis caloribus moratur, captus, et in custodia habitus sit: violata majestate, qua nihil in terris augustius et sanctius. magna Philippi regis accusatione; quem deinde divina ultio consequuta, impiis regibus infelicitatis exemplum statuit. Pontifex contumeliae impatiens, paulo post e custodia emissus ac Romam reversus, dum vindictam molitur, quinto ac trigesimo die excessit: si dominandi cupiditatem, elatique animi fastum demas, optimis summisque pontificum par: quique unus maxime, romani sacerdotii majestatem, supra regum fastigium extulerit. primus dicitur duplici corona usus, cui tertiam deinde Urbanus V. adjecit: quod insigne capitis caeteri deinde pontifices gestavere. Ei suffectus est Benedictus XI. Ordinem praedicatorum professus, sapientiae ac sanctimoniae fama clarus: quem intra annum vertentem fata terris abstulere. Ad hunc usque annum Ptolemaeus lucensis annales suos deduxit; incor-

ruptae fidei scriptor: quem ultra ducentos annos ducem sequuti, sua laude fraudandum minime duximus. ea quoque commendatio accessit, quo Praedicatorum institutum amplexus, celebris Thomae aquinatis auditor fuit, ac deinde bibliothecae vaticanae praefectus, moxque a Joanne XXII. Torcelli in Venetis pontifex creatus, honoris insignibus sapientiam auxit. praeter annales, spissum sacrae historiae opus molitus est; quod in membranis scriptum, inter arcanos vaticanae bibliotecae thesauros latet, magno eruditorum desiderio: quibus id demum ratum, sanctumque habetur, quod Ptolomaei lucensis testimonio nixum sit. Hoc anno per hyemem asperrimae frigorum tempestates extitisse dicuntur. in lucensi agro lacus uterque, et qui ad mare, et qui ad Arnum in mediterraneis est, tam firma glacie duratus fertur, ut jumenta sarcinis onusta per eos commearent. Is qui insequutus est annus (1) aliam de Florentinis benemerendi causam lucensi populo dedit. Post discessum Lucensium, qui reipublicae constituendae Florentiam acciti fuerant; quamquam ea sapientia ita omnia temperata essent, ut diuturna pax sperari pos-

(1) Anno 1304.

set; tamen seu temporum, sive ejus gentis fato, nunquam diu pacatae, iterum discordiae exarserant. iis componendis, magno aliquo nomine opus ratus Benedictus pontifex, Nicolaum Albertinum pratensem, quem ejusdem Ordinis collegam ad purpuram evexerat, Florentiam destinavit, virum callido ingenio, ac aulicis artibus probe instructum. Is magno honore a Florentinis exceptus, ingentem pacis spem primo adventu excitarat: verum ubi Ghibellinis ex quibus ortus, Albisque studere plus aequo, non falsis suspicionibus patuit, infectis rebus, irarum plenus ad pontificem reversus, florentinum populum apud credulas illius patrumque aures criminari: « nihil sani ac integri jam du- » dum in ea republica apparere: parem divina- » rum humanarumque rerum contemptum esse : » mutis legibus omnia per vim et arma geri: » non eam mali vim, ut vulgaribus remediis » sisti posset: jam putre ulcus ad vivum alte » desedisse, ac ni ferro ignique secetur, omnem » aliam curationem inanem esse. » Haud mitiora de Lucensibus questus: quos cum magna multitudine Florentiam venisse, caedes, rapinas, incendia in ea urbe fecisse, ac insuper vitae ipsius insidiatos criminatus est (1). Quae cum

(1) Ex literis Benedicti apud Raynald. Ann. 1304, n. 4.

partim vera, partim similia veri essent, eo pontificem perpulere, ut praeter XII. nigrae factionis principes, quorum arbitrio res tunc gerebatur, Florentia Romam excitos; Henricum quoque Bernarducium, Orlandos Salamoncellum et Malapresam, Parentem Porcariensem equestris ordinis, ac Nicolaum Maconis, Luca ad se se vocaret: jussis etiam venire, qui utriusque reipublicae nomine transigerent. Iis imperata obedienter facientibus, Pratensis ubi praesidio nudatam rempublicam videt, clam literis albatae factionis exules, nec non Bononienses, Pisanos, Arretinos, et maxime Pistorienses, apud quos praecipua earum partium sedes, admonet; » venisse tempus, quo adversae factionis injurias ulciscerentur. Florentiam, si vires jungantur, nullo negotio occupari posse. non arma, non milites suppetere. plebem sine ducibus invalidam: laxatas custodias, cunctaque per inertiam socordiamque agi. sed dissimulatione ac taciturnitate opus esse, ut ex improviso hostibus superveniant. » tum certam diem gerendae rei edicit; conciliandaeque auctoritati, omnia conscio ac volente pontifice fieri audacter mentitur. Itaque ad condictum, IX peditum millia, mille ac sexcenti equites ita repente sub noctem urbi superfuere; ut ante signa ordinesque ad moenia conspecta sint,

quam de eorum adventu suspicari quisquam posset. Ubi adesse hostes, et ad arma per urbem conclamatum, tanta repente trepidatio incessit, ut jam se captos perditosque complorarent. In eo tumultu sibi quisque dux ac miles sine lege ac ordine passim discurrunt, et ex metu ac desperatione animos capiunt. jam prope insertis securibus, portam hostes effregerant; cum qui intus erant, quod viribus non poterant, arte experiuntur. Album purpureumque Lucensium vexillum sustollunt, Lucensesque adesse vociferantur. eo clamore territi hostes, suaque spe dejecti, quod vacuos imparatosque Florentinos putassent, Lucenses adesse rati, cum vexillum mendacio fidem adstrueret, repente terga vertunt. Florentini fugientes insequuti, alios capiunt, alios caedunt: caeteros quo ad cursum expeditiores essent arma abjicientes, per agros fuga spargunt. Lucenses periculi Florentinorum admoniti, postero die cum XX. peditum millibus, DCC. equitibus adsunt: officio potius quam auxilio, cum jam socii terrore nominis vicissent. quod urbis nostrae a florentinarum rerum scriptoribus dissimulatum, vetus proximusque eorum temporum auctor, patriae monumentis inseruit (1). Paria

(1) Sercambi.

in lucensem agrum exules ausi. Nam Pistorio inopinato egressi, cum in regionem ad Naevulam amnem excurrissent, cladem intulere praedas agendo, ac stupra etiam libidinesque caedibus miscendo. quod ubi Lucam nunciatum, missus Lucius Obicius cum militibus urbanis, quibus populares ejus regionis juncti; quos ira dolorque in ultionem accenderant. ingressi pistoriensem agrum cuncta passim diripiendo incendendoque, tum concaedibus arborum saeviunt: turrim ad Pontem longum capiunt evertuntque. captam quoque Verruculam arcem inter Catinum et Massam jugo montis impositam, moenibus nudant. praeda omnis Naevulensibus, quibus illata clades fuerat, concessa. Et quia saepius iis temporibus procul a domo bellandum erat; ne per absentiam civium respublica aliquid detrimenti caperet, decretum ut D. equites externi ad urbis custodiam mercede conducerentur: eique oneri substinendo tributum viritim imperatum. ii in quinque turmas divisi: creatique totidem praefecti qui centenis singuli praeessent. fuere Matthaeus Saccus, Guido Pollanus, Totus Forteguerra, Vannes Buzolinus, Bartholomaeus Bambacarus. Recens ab exulibus discrimen, Lucenses Florentinosque admonuerat, ut saluti reipublicae acrius incumberent. itaque jam pridem animadverso,

omnem mali fontem, Pistorium albatae factionis receptum arcemque, esse. eaque incolumi nunquam Tusciae res quieturas; excindendam evertendamque communi consilio decernunt. praecipui Pistoriensium adjutores, Pisani inter Lucenses Florentinosque positi minus timebantur. Bononienses finitimi, libero in pistoriensem agrum aditu, auxiliis commeatibusque submittendis, majorem curam intenderant. Itaque iis a societate Pistoriensium divellendis, omnis cogitatio versa. missi ante qui clam quorundam principum animos tentarent. quos ubi non alienos ab incepto cognitum, legati ex primoribus Florentia Lucaque cum donis Bononiam missi, qui quos verbis non possent, spe pretioque in suam sententiam pertraherent. onerati praemiis, ii quibus major audacia, caeteris faces subdendi partes suscepere. Ubi satis provisae res, tumultus repente in urbe excitatur: Turdinus Panagus in forum, ut imperatum erat, cum militibus descendit: passim seditiosae minacesque voces in Albatos jactantur: eorum alii vulnerati, alii occisi, aedes direptae ac incensae: Florentini exules fuga dilapsi, totaque civitas momento in guelphas nigrasque partes traducta. Tum vero omnes Pistoriensium spes accisae: nec aliud quam ex Pisanis subsidium. qui, quod unum poterant,

pecuniam in militem conferebant. His peractis, de obsidendo Pistorio agi coeptum: scriptaeque inter florentinum lucensemque populum foederis leges: primumque omnium cautum, ne prius bello obsisteretur, quam civitas in eorum potestatem veniret. Ei expeditioni viribus famaeque conciliandae, legati ad Carolum regem destinati, oratum ut aliquem ex liberis mitteret, cui belli summa committeretur. Missus cum CCC. equitibus ex militiae flore ac robore, magnoque praeterea peditum numero Robertus, qui postea regnavit: qui cum regiis honoribus Florentiae exceptus, aliquandiu comparandis rebus substitisset, demum prodicta die, qua foederatorum copiae educendae essent ad XI. Kalendas junii, inde Florentini, hinc Lucenses cum auxiliariis Guelpharum gentium copiis Pistorium processere (1). Castris positis, regio circa urbem extra teli jactum omnis vastata. tum intra passus quingentos, diversis locis ad itinerum aditus munitiones extructae: fossa valloque, ac pluteis, ex illorum temporum militiae more munitae. earum una ad Bonellas montanae viae imposita, eique nigri Pistoriensium exules praesidere jussi. altera ad

(1) Ann. 1305.

florentinae viae custodiam: tertia ad D. Augustini aedem, aliaeque aliis locis, ut opportunum visum aedificatae. castra majora in quibus Florentini Lucensesque tendebant, ex altera urbis parte, qua Sambucam montanosque iter est, locata. quibus munitionibus peractis, edictum: quicumque intra tridui spatium urbe exire vellent, iis liberum commeatum, vita rebusque salvis fore: qui ultra id tempus restitissent, perduelles hostesque habendos: eosque cuique capiendi occidendique jus potestatemque futuram. ea misericordia usi plures viri ac feminae, turba obsessis futura oneri, Pistorio excessere. ubi induciarum dies exiit, urbs fossa valloque circumdata, pluteisque tam arcte clausa, ut nemo inde egredi posset, nisi in certam aut mortem aut servitutem.. tantaque rabie utrinque exinde bellatum, ut quemcumque nostrorum Pistorienses cepissent, statim in muris e furca suspenderent: qui vero urbe egressi in nostros incidissent, maribus oculo effosso manuum pedumque alter, feminis nares truncarentur: inque eum modum foede deformati intra urbem repellerentur, ut eo aspectu animi civium fracti ad deditionis consilia inclinarentur; tum ut alendi necessitas, deficientibus in dies commeatibus esset. Dum Florentini ac Lucenses circa Pistorium

Roberto duce haerent, post menses XI. interregni, novus pontifex renunciatus, contra quam solet, tristem annum effecit: nec multo religioni feliciorem, quam biennio ante fuerat. Quippe eo pontifex captus, hoc funesto exemplo in Galliam translata sede pontificatus, summum sacerdotium per LXX. annos exulavit. ut per id tempus, non alia fuerit Romae Italiaeque facies, quam tetrae et caliginosae noctis: divinis humanisque rebus juxta perversis. quippe ex eo tempore sacerdotum disciplina una cum coelo mutata, corrupti gentium mores, neglectus sacrorum cultus, templa ruinis collapsa, Italiae urbes a tyrannis occupatae, jus fasque in armis positum. Auctor machinatorque harum cladium, omnium scriptorum testimonio, Nicolaus pratensis; qui cum se Philippo regi totum vendidisset, ut erat callido ingenio, collegas in eam fraudem induxit, ut Bertrandum Burdigalensem antistitem, velut regiae domus inimicum, pontificem renunciarent: clam cum rege per occultos nuncios communicato consilio, ut hominem alias ventosum, objecta summi sacerdotii spe, sibi conciliaret: cum eoque quod in rem suam putaret ante pacisceretur.

Bertrandus Clementis V. nomine assumpto, purpuratorum collegium Lugdunum praesto sibi

capiendis pontificatus insignibus adesse jussit. quo nuncio patres sero tandem Pratensis fraude cognita, tristes et tamquam ad exilium in Galliam migravere, multum incusata collegae perfidia, quo non eos modo, sed Italiam, atque adeo ipsam summi sacerdotii majestatem prodidisset, irati regis servituti addictam. Caeterum Clementis consilium cordi superis non fuisse, manifestis indiciis patuit. quippe dum infulatus, velatusque pontificalibus insignibus, inter regem Philippum Britanniaeque regulum equo veheretur; ruina muri regulus oppressus, ipse in terram afflictus, corona e capite excussa, ingentisque pretii gemma amissa, vitae discrimen adiit. ut ipse quoque irato Deo se pontificem creatum fassus sit. Peracta solemni inauguratione, Clemens ad ordinandam rempublicam conversus, Pratensis fortunae suae auctoris instinctu, legatos in Etruriam misit, qui Roberto duobusque populis denunciarent, ut copias Pistorio deducerent, armaque ponerent: ni dicto audientes essent, diras justitiumque sacrorum minarentur. Legati cum in castra venissent, pontificis imperia minasque exponunt. Quibus cum Robertus parendum sibi decrevisset, parte copiarum relicta in Galliam ad salutandum pontificem se contulit: Lucenses Florentinique, tot sumptus laboresque pe-

rire aegre passi, in obsidione perseveravere. quin ex eo tempore omnia intentiore cura agi coepta: si qua eruptio fieret, acrius in urbem repulsi hostes; quidamque in ipsis portis pontibusque capti, immitiusque in captos saevitum. praecipuo crudelitatis auctore Lando quodam eugubino, quem ob saevitiam militaribus facetiis Longinum appellabant. Nec hyeme quoque cessatum; nullis vel pluviis, vel nivibus, aut alia hiberni caeli inclementia, militaria opera laboresque prohibentibus. Interea obsessis omnia in dies asperiora fieri, jamque ex inopia famem adesse, cujus ea vis fuisse dicitur, ut omni sanguinis caritate abjecta, parentes liberos, filii parentes conjugesque invicem ab alimentis repellerent. quibusdam etiam, potius quam in manus hostium venirent inedia mori obstinatis. In tanta rerum desperatione, unica Pisani auxilii spes animos Pistoriensium sustentabat. Verum ubi eam quoque inanem esse compertum, deditionis mentionem injecere. nec nostri eadem consilia aspernati. quippe jam undecim fere menses, obsidionis laboribus fessi, finem belli potius quam victoriam spectabant. Legati Pistoriensium cum praefectis utriusque gentis colloquuti, has leges retulere. Pistorium ejusque ager victoribus dederetur. militibus qui in praesidio urbis fuissent, tria

millia aureorum persolverentur. Albatis urbe ejectis Sambuca ac Pitecium in quibus habitarent concessa. quibus acceptis III. Id. aprilis (1) demum Pistorium in florentini ac lucensis populi potestatem venit: undecimo fere mense postquam obsideri coepta: cum egregia virtute, majoribus etiam animis quam viribus, nullis externis auxiliis, tamdiu duorum populorum Etruriae principum arma regiis opibus aucta sustinuisset. Eadem die Binus Gabrielius eugubinus Florentinorum praetor, et Morovellus Malespina Lucensium dux cum lectis equitum peditumque urbem intravere: quibus illius imperium arcesque traditae, quas illi florentini ac lucensis populi nomine accepere: Albis urbe egressis, nigrae factionis exules reducti: praesidia arcibus imposita: novi magistratus creati, qui in florentini lucensisque populi verba juravere. Urbis imperium ita partiri placuit, ut Florentini praetorem, Lucenses populi ducem ei regendae darent. primique Pazzinus Pazzius Florentia, Lippus Carratellus Luca missi eum honorem cepere. ager aequis portionibus divisus, ut eam quisque partem obtineret, quae finibus suis propinquior esset. ita Lucenses quaecumque occidentem Serramque spe-

(1) Ann. 1306.

ctant, una cum montana regione; Florentini quicquid in orientem vergit occupavere. Tum minuendis incolarum animis, rebellandique materiae adimendae plures arces turresque eversae: fossae circa urbem aggeratae: et quod tristissimum captis fuit, urbs moenibus nudata. quae omnia quo acerbiora civibus essent sumptu eorum fiebant. Id quoque tum publicae tum privatae irae datum, ut principum Ghibellinorum Alborumque urbanae aedes solo aequarentur. qua strage plura egregii ac antiqui operis aedificia periere. Constituta in hunc modum Pistorio, victores exercitus domum reducti: Binusque praetor Florentiam, Morovellius Lucam, magno plausu excepti, triumphantium ritu intravere: aureum velum super eos equestris ordinis viris praeferentibus. Haec contra hostes. pro sociis illud gestum, quod cum Bononienses, quibuscum foedus paulo ante ictum, egregios duces a Lucensibus postulassent, missi Dinus Obicius, ac Orlandus Salamoncellus, qui amici populi armis praeessent. Dum respublica ad orientem imperio augetur, in lunensi provincia, Azonis Malespinae fraude, nobile oppidum Fosdinovum rebellavit. Eo Lucenses (1) cum copiis profecti, va-

(1) Ann. 1307.

statis circa late agris, oppidum diu frustra oppugnatum, IX mensium obsidione obtinuere. intra id spatium expugnatis captisque nonnullis ignobilibus locis, qui reguli imperio parebant. Interim Albatorum reliquiae, quibus Sambuca ac Pitecium concessa fuerant, hostilem animum retinentes, ex iis oppidis saepius latrocinantium more egressi, pistoriensem agrum infestum reddebant. interdum usque sub urbis portas adequitantes, caesis aut captis custodibus: quibusdam etiam in Florentinorum Lucensiumque contumeliam, sub ipsis moenibus e furca suspensis. Id porro indignum utrique populo visum. ratique nihil victoria profectum, si victi victoribus tam superbe insultarent, Luca Florentiaque in Pitecium, unde crebriores majoresque injuriae, peditum equitumque magnus numerus missus. castris ad oppidum locatis, machinae ac tormenta per circuitum murorum disposita: ac undique magno impetu quati coepti, praecipuo oppidanorum damno, ob loci angustias, cum immissa tela ballistisque excussa ingentis ponderis saxa, numquam sine ictu inciderent. Praeerat oppido Lippus Vergellesius, quem exules ducem sibi constituerant, consilio ac militari virtute validus. lectaque virorum ex flore nobilitatis

robora, qui cum illo erant, plusquam moenia turresque, si vi ageretur, victoriam remoraturi videbantur. Nam et crebris eruptionibus obsidentes turbabant; et si quando quempiam nostrorum cepissent, statim in oculis duorum exercituum laqueo e muris suspendebant. Itaque domitandos fame duces rati, oppidum undique vallo clausere, ligneis turribus, aliisque operibus circum extructis ne impune exire quispiam aut intrare posset. Quare consumptis alimentis ad extremam inopiam redacti, noctu clam oppido egrediuntur, ac per devios notosque calles Sambucam se recipiunt. Id ubi a nostris animadversum, missi qui abeuntium tergis instarent. Sed longe jam praegressos cum consequi minime potuissent, in oppidum reversi, vacuoque potiti, munitiones reficiunt, ac praesidium imponunt. exules montano Sambucae situ etiam tutiores, duplicatis viribus eadem quae antea in Pistorienses audebant. Sed latronum ritu viventes, terrendo timendoque, haudquaquam pares sumptibus faciendis in militem erant. quare cum IV. annos Sambucam tenuissent; Lippo, ac aliis Vergellesiis auctoribus, quamquam caeteri repugnarent, oppidum accepta pecunia nostris cessere.

Laetam externis victoriis urbem, intestina discordia afflixit (1). Nulli prosperas Lucensium res iniquioribus animis, quam Pisani adspexerant. itaque jam dudum se se in omnes partes versare, ut in civitate aliquid molirentur. Jam aliquot ante annos Punzus Malizzardus pisano auro corruptus, incendium in urbe noctu excitaverat: qui, ut dictum est, comprehensus longoque carcere maceratus, novissime quaestionibus de eo habitis, omnia se Pisanorum instinctu fecisse fassus erat. Quare capta Pistorio nihil antiquius fuit, quam ut in eos bellum decerneretur. Ei avertendo, ubi primas artes processisse parum vident, quod aemulatione potentiae facillimum fuit, patricios ad plebem criminando, dissidium ingens inter ordines excitavere. Cum ad arma itum esset, victoria penes populares fuit. ii republica potiti, ex ingenio vulgi, plura vi quam ratione egere: id unum sanctum justumque rati, quod furentis iratique populi arbitrio sedisset. et ut quae injuria erat lex videretur; primum omnium antiquis legibus abrogatis, novum juris civilis corpus constitutum: in quo inter caetera illud iniquum, quod omnibus equestris ordinis, omni-

(1) Ann. 1308.

bus proceribus regulisque, quos Catanos appellabant, nec non familiis patriciis, invidioso potentum nomine notatis, reipublicae administratio adempta: iis exceptis, qui comitiis plebis, a patribus ad plebem transissent. earum nomina, ne popularium obtentu laterent, legibus inseri visum, popularis iracundiae in praesens, nobilitatis testimonium ad posteros. quarum cum pleraeque a stirpe interierint: Aemiliani, Bujamontes, Burlamacchi, Cenamii, Diversii, Fatinelli, Forteguerrae, Gilii, Guidiccionii, Guinisii, Mansi, Michelii, Podii, Sbarrae fato superstites, ad nostram memoriam pervenere. Tum cautum, ne patricii testimonium in plebejum reciperetur, contra popularis in patricium valeret: plebejusque qui patricium accusasset, causa non probata, a calumniae noxa liberatus. multa etiam adversus sacrorum immunitates constituta. Mirum vero est, quanta acerbitate in Franciscum quemdam Monacum augustinensem, ut in proditorem ac majestatis reum, ab irata plebe saevitum sit. Nam cum is fuga elapsus, supplicio se exemisset, XII. legum capitibus, aliis super alia, ejus memoria damnata. in primis ei qui vivum mortuumve attulisset quingenti aurei decreti. corpus capti raptari per urbem, ac dein furca suspendi jussum. juvare illum, non commeatu,

non consilio, non tecto cuipiam fas. qui secus fecisset, multa ingens irrogata. aedes quibus hospitio receptus esset, solo aequari imperatum. aliaque ingentis odii argumenta in hominem decreta. Triumviri condendis legibus creati, Giarinus Moriconus, Guido Tegrimus, et Nicolaus Boccella: quae familiae sive tunc adhuc intra plebem, sive quamquam e patriciorum numero, minime populo suspectae. quae omnia demum D. virorum suffragiis (id erat consilium maximum) in basilica D. Michaelis in foro lucensi, XII. Kal. septembris sancita. Quibus haud dubiae civitati evertendae initium factum. quippe nobilitas popularis imperii impatiens, migrationibus in alias terras urbem exhausit: inde imminutae opes splendorque civitatis, artiumque industria. quae mala consequuti paulo post Ugutio et Castruccius, erepta libertate cumulavere. Praecipuus popularium turbarum auctor Bontura Datus, qui plurimum ea tempestate apud populum poterat: duoque alii infimae plebis homines Picchius et Ciccus: quibus plerumque frangendae nobilium superbiae, caelestis providentia uti solet. quorum instinctu, biennio post plebs iterum in seditionem versa, patricios omnes rursus a republica amovit: occupatoque palatio decemvirali, designationes magistratuum rescidit: pa-

triciisque omnibus exclusis, loco eorum plebejos substituit. nobilibus qui in praefecturis erant imperio abrogato, alii popularis ordinis suffecti: decretumque ut intra certam diem, omnes proceres dynastaeque, qui oppidis imperitabant, in urbem domicilii causa migrarent, ut tamquam vincti constrictique sub custodia plebis agerent: iis qui non paruissent multa irrogata. praeterea triumviri reipublicae constituendae creati iidem, quorum consilio nutuque plebs agebatur, a quibus multae patriciorum familiae, publici boni obtentu proscriptae. Per hunc modum respublica, cum ad pessimos pervenisset, jam sui impotens, haud mirum si minus aequo imperio subjectos regeret. Pistorienses praecipue (1) avare ac superbe imperitari sibi querebantur. quasi de industriâ tenues egenique ad eos cum imperio mitterentur, ut in bona fortunasque civium saeviendo, paulatim attererent. Nec avaritiae libido comes aberat, qua ingenua feminarum corpora, nulla pudoris pudicitiaeque reverentia foedabantur. quae cum a Florentinis quoque fierent, in pari injuria par odium non erat. Itaque ea desperatio cunctorum animos incesserat, ut mori

(1) Ann. 1309.

satius putarent, quam acerbum et crudele servitium diutius tolerare. Hoc habitu animorum rebellandi occasionem ex Lucensibus capiunt. Destinaverant Lucenses, qui pistoriensi populo ex foedere ducis nomine praeesset, Tomucium Sandonium. Is alias bello clarus, obscuris natalibus, inopi fortuna, eam suspicionem injecerat, ut ad expilandos potius quam tuendos socios venturus putaretur. itaque ubi eum populi ducem renunciatum fama vulgavit; statim iniqui de eo sermones ubique misceri:
» Venire hominem, qui quod sanguinis ultra
» supersit exauriendo, urbi solitudinem faciat.
» jam non praefectos, sed hirudines aureas ad
» se mitti; nec patrum, sed impotentum ty-
» rannorum more, dominatum exerceri, nul-
» lius vitam, et quod tristius sit, jam non
» conjugum, non liberorum pudicitiam in tuto
» esse. si quid antiqui spiritus supersit, qui
» tam superbe eorum patientia abutantur, in-
» tellecturos, servientibus corporibus animos
» liberos esse. quasi ex condicto ab omnibus
» conclamatur, ducem minime accipiendum,
» urbemque muniendam, et si quidem opus sit,
» pro muris valloque corpora hostibus obje-
» ctanda. si aurum sanguisque profundendus
» sit, honestius libertati quam servituti im-
» pendendi.» Secundum haec, mirabili consen-

su, omnes ad opus se se expedire; non feminae, non pueri, ne quidem sacris destinati homines cessare. certatim purgare fossas, ruinas murorum aggerare, vallo urbem munire: Florentinorum non modo dissimulatione, sed etiam hortatu: qui, infida semper imperii societate, exclusis Lucensibus, soli potiri rerum sperabant. Sandonius ducatu exclusus Lucam rediit. quaeque Pistorii gerantur, qui sit animorum, qui rerum status, docet. Ad eum nuncium, raptim collectis undique copiis, Lucenses citato agmine Pistorium iter intendunt. quod ubi a civibus cognitum, feminis puerisque, caeteraque imbelli turba exonerata civitate: retentisque tantum ad usum necessariis, caeteris in loca tuta avectis ne praeda hostibus forent, ad obsistendum se comparant. Lucenses Umbronem usque progressi, ad pontem cui Longo nomen quingentis ab urbe passibus castra locavere. cum vero Pistorienses trepidi ad arma discurrunt, raptim ad portam Lucensem advolant, complexique supremum, tanquam morituri, osculo inhaerent. et certe si collata signa forent, tanto superior Lucensium acies erat, ut pauci, aut nulli superfuturi ex eis fuerint. Sed Florentini qui in urbe erant, in castra Lucensium egressi, orando suadendoque, » ne quid per iram moliri vellent; esse

» poenitentiae locum, si armis abstinuissent : ubi » res gladiis committeretur, cuncta in arbi» trio fortunae fore: » perpulere Lucenses, ut Serram conversis signis regressi, ibi Pistoriensium consilia opperirentur. quod ut in re praesenti magnae Florentinis laudi, ita dies aperuit, Lucensium furorem, multo eorum moderationi, vel testimonio ipsorum, praestitisse. Dum Lucenses ad Serram consistunt, Pistorienses rebus suis diffisis, Senas legatos oratum misere; ut placandis Lucensibus, componendaeque controversiae sequestres esse vellent. eorum arbitrio se fortunasque suas committere: id demum ratum habituros quod ipsi transegissent (1). Senenses benigne audita legatione, e principibus Benuccium Salimbenum oratorem Lucam destinavere, qui sociorum causae adesset. is magno nobilium comitatu urbem ingressus, senatu illi dato, in hunc modum loquutus fertur. « Nisi quantum in armis ve» stris roboris sit P. C, tantumdem clementiae » animis inesse arbitrarer, supervacaneum foret » tueri verbis, quos gladiis cogere possetis. » nunc cum eos vos noverim, qui et alios » vincere, et vobis imperare sciatis; magna

(1) Villan. Lib. 8, c. 3.

» spe eam causam suscipio, cujus iidem et ju-
» dices et patroni futuri estis. Pistorienses
» majoribus animis quam viribus ea in vos
» peccavere, ut nisi misericordiam in consilio
» habeatis, suprema se novissima meritos fatean-
» tur. Quod praefectum vestrum in urbem non
» accepere, quod vallo fossaque diruta moenia
» munivere, quod in vos arma tamquam in ho-
» stes sumpsere, infelicis populi conatus sunt,
» nimium antiquae libertatis memoris. homines
» jam diu miseri, prius suis armis quam ve-
» stris victi; tot civium exilio dimidia sui
» parte truncati; pro libertate duos dominos
» accipere coacti, venia digni sunt si inviti
» serviunt. libertati assuetis etiam brevissimum
» jugum oneri est: nec inter dominos tyrannos-
» que discernit insolentia servitutis. quantum
» boni sit nullius arbitrio nutuque pendere,
» de vobis aestimate. nemo de aliena liber-
» tate incorruptius statuit, quam qui intelligit
» suam. et hoc etiam majore spe culpam de-
» precantur, quod Florentini qui iis ex ae-
» quo vobiscum imperant, de jure suo remit-
» tunt. victoriae socios parcendi auctores se-
» qui non pigeat. turpe est, si quibus cum
» commune imperium habuistis, iis totam mi-
» sericordiae laudem relinquatis, et ad populi
» vestri gloriam pertinet, ne nobilissimae ur-

» bis eversores potius quam servatores dici velitis. duarum Etruriae civitatum, intra paucos annos, alterius constitutae retinete, alterius conservatae decus optate: unoque beneficio tres populos vobis obligate. quae bello queruntur, fluxa et instabilia, cum vi stant, aut cadunt: virtutis fructus aeternus est. et armis quidem corpora, benefactis animi subjugantur. » Haec apud patres legatus. cui collectis sententiis responsum, senatum, nulli Pistoriensium merito, sed clementiae suae tantisque deprecatoribus dare, ut quae facta hactenus ab eis sint, pro infectis habeantur, si quae imperentur, obedienter facere in animum inducant. Vallum circa urbem erui placere; nec nisi cum totos octo dies revulsum jacuerit restitui. Praetoris, ducisque legendi optionem Pistoriensibus permitti, dum alter Florentinus, alter Lucensis eligatur. Cum hoc responso senensis legatus Pistorium profectus, expositis Lucensium mandatis, quae facto opus sit consulere in medium jubet. sanior majorque pars accipienda censebat. quippe eas lucensis populi vires esse, ut si conniti vellet, haud dubie exitium sibi impendere. alii quibus pro tutis utilibusque speciosa et ancipitia potiora erant, contra suadebant. eoque contentiones animorum progressae, ut nisi legatus Se-

nensium adfuisset, res ad manus gladiosque ventura fuerit. perrogatum tamen senatus consultum in eorum sententiam, qui leges a Lucensibus latas accipiendas censuerant. Itaque vallum erutum, tanto adversae partis moerore, ut tunc primum capta Pistorium videretur. lectusque praetor lucensis equestris ordinis, qui sex menses de more urbi praeesset. Ita Senensium opera, sine bello et armis de Pistorio transactum. et ne qua Lucensium animis querela resideret, publice compositis rebus, Pistorienses privatam gratiam minime neglexere: missis qui Tomucio Sandonio satisfacerent: verborumque officiis donisque reipublicae suae iratum conciliarent. Prosperas jam diu in Etruria Guelphorum res, novi imperatoris renunciatio in discrimen adduxerat. Nam interfecto per scelus Alberto austriaco, cardinalis Pratensis arte Henricus Lucemburgensis ghibellinae factionis praecipuus fautor, septem virorum suffragio imperium adeptus, ejus partis homines in maximam spem erexerat. Pisanorum praecipue gaudium eminebat; qui novi principis gratiam occupaturi, honorifica legatione eam dignitatem statim illi gratulati erant, adjecto LX. millium aureorum dono: tantumdem polliciti daturos, cum in Italiam descendens Pisas pervenisset. quibus promissis elatus

Henricus, profectionem in Italiam maturavit, capiendis de more imperatoriis insignibus: superatisque Alpibus, per Taurinos Mediolanum IX. Kal. januarii pervenit: ubi vetere instituto ferrea corona insignitus est. Ad eum Mediolani agentem Lucenses Henricum urbis antistitem cum duobus aliis misere: qui imperatorium fastigium ei gratulati, subsidia pro viribus salva libertate pollicerentur. Caesar legatis benigne auditis, tempus ad deliberandum sumpsit. Sed Pisanorum opera diu dilato responso, cum duos et viginti dies substitissent, oratores haud ultra expectandum rati, Lucam rediere. quorum relatu, intellecto quid a caesare expectandum esset, cum Florentinis, in quos par Henrici ira, communicato consilio, placuit undique vires colligi (1), seque ad obsistendum comparare, ne ex improviso opprimerentur. Itaque novum foedus inter Florentinos, Lucenses, Bononienses, Senenses, Pistorienses, aliosque per Tusciam guelpharum partium populos ictum: omnique studio curae in bellum intentae. Saluti praecipue fuit caesaris mora: qui dum circa Cremonam Brixiamque haeret, comparandi se spatium Etru-

(1) Ann. 1311.

scis praebuit: longaque obsidione vulgatis per exercitum morbis, minore belli mole in Etruriam descendit. longe aliter futura rerum fortuna, si integer imparatis trepidisque supervenisset. Quippe constat uno adventu Etruriam occupari potuisse: qua potitus, liber ei in Latium, Campaniam Apuliamque patebat excursus. nam et magnis succinctus copiis advenerat; et comitatis justitiaeque fama favorem illi conciliabat, ut etiam adversae factionis homines imperium illius minime aspernarentur. Brixia expugnata Henricus octobri mense iter suscepit: cumque Genuam venisset, uxorem ibi pestilentia amisit. Cognito ejus in Liguriam adventu, Lucenses omnia lunensis provinciae oppida variis praesidiis firmavere, munita etiam omni regione ad Arnum atque Aesarem, quae ad occidentem spectat, ubi primus belli impetus excipiendus erat. Nec a Florentinis cessatum. Nam et arcem Miniatensium, peditum equitumque firmo praesidio munivere: missis etiam qui Volaterras, adversus Ghibellinorum conatus continerent. Henrico Genuae agenti, Pisanorum legati cum X. triremium classe illum in urbem suam invitantes praesto fuere (1).

(1) Ann. 1312.

iis deducentibus magna pompa Pisis exceptus, inter laetas acclamantium voces, tota civitate obviam effusa: utque hospitum gratiam iniret, quibus nihil magis cordi, quam Lucensium injuriae, praefectum suum cum militibus in lucensem agrum immisit, ut depopulando praedasque agendo cladem inferrent. adjunxere se caesarianis ghibellini exules Joannes Savarigius, Bonagiunta Carincionus, quos alii sibi legerant duces: nec non Neptus Mordecastellus, Dinus Boscus, et Bartholomaeus Antelminellus e principe nobilitate: qui in subjectam Calcio vallem Butum usque progressi, cuncta vastando incendendoque diripuere. Quo tempore cum legatus Roberti regis, qui patri in regnum successerat, quem ad salutandum caesarem miserat, nimia apud Henricum mora secretisque colloquiis de regis animo erga Guelphos quos tuendos susceperat, suspicionem injecisset, missi una cum legatis Florentinorum oratores ad regem, ut ejus consilia explorarent. quem ubi constantem, invictaeque ad ultimum fidei reperissent, domum reversi, bona spe suorum animos implevere. Caesar Pisis digressus, per maritimam Pisanorum Senensiumque oram, Voltumnae fanum, atque inde Romam pervenit. Romani qui cum Roberto rege sentiebant, quorum Ursini duces erant, audito

ejus itinere, collectis undique Guelphorum copiis ad arcendum ingressu urbis Henricum se comparabant. miseratque ad eam rem Robertus Neapoli Joannem fratrem cum valida equitum manu, Lucensiumque ac Florentinorum copiae vires suas contulerant. quare Capitolio, Janiculi, ac Hadriani mole occupata, cum caesar Vaticani aditu prohiberetur; Columnensium ope qui Aventinum, Caelium, Quirinalem Viminalemque colles cum tota Suburra tenebant, per pontem Milvium portamque flaminiam ingressus, media urbe equitans, in Aventino castra posuit: contraque morem ac instituta majorum, in Laterano per ostiensem antistitem (is erat Pratensis, cui Henricus fortunam suam debebat) inauguratus: cum aliquot dies in urbe substitisset, populo romano iratus, Tibur in Sabinos, ac inde in Etruriam adversus Florentinos castra movit. Jam Florentini sustinendo bello omnia paraverant, habebantque sub signis praeter popularium suorum copias, quatuor equitum millia, pedites X mille septingentos: e quibus Lucenses tria peditum millia, sexcentos equites submiserant. Caesar cum in itinere plura illorum oppida occupasset, magno urbi illato terrore, in conspectu murorum ad Salvis fanum haud amplius trecentos ab ea passus castra

posuit. Sed explorata urbis munitione, cognitoque quam validis praesidiis teneretur; oppugnationem frustra futuram ratus, minime rem tentare ausus, ad tertium lapidem retro ad Emam fluvium concessit. Inde motis ad Cassiani fanum castris octo a Florentia passuum millibus, eo loco hyemavit. ultra duos menses in oppido moratus, inde per initia insequentis anni digressus (1), Bonitium petiit; oppidanisque arcem in montis jugo rursus extruere permisit. quo loco cum a Roberti regis militibus premeretur: amissa etiam exercitus parte, tum saevitia hyemis, tum morbis qui confectum labore ac frigore militem vexaverant: commeatuum etiam penuria urgente, in summis pecuniariae rei angustiis Pisas reversus est. In qua urbe dum opperiendis maritimis Genuensium auxiliis, novoque milite quem e Germania acciverat, moratus; ne per otium tempus tereret, plura per praefectos Lucensibus damna intulit. Nam praeter frequentes militum incursiones, quibus agrum depopulando vastitatem fecit; nonnulla etiam oppida vi cepit, inter quae in Versilia Feroniae fanum: Henrico Belga ex ejus ducibus ad illud occupandum

(1) Ann. 1313.

profecto. in cujus oppidi expugnatione, Nantinus Salamoncellus, ac Landuccius Testa, dum inter promptissimos dimicant, periere. Quo tempore Malespinae reguli, Fordinovum, Aginulphum, Massam, Carrariam, ipsumque provinciae caput Lunam, lucensi populo abstulere: quae deinde post Henrici mortem recuperata. Pisani quoque Juliano monte superato, fanum Mariae ad ejus radices situm everterunt: Auserim usque depopulando progressi:· haud minore suorum jactura, e quibus caesi Fraedus Gualandus, et Bugattus Orlandus Pisani, Bertinus Vergellesius pistoriensis, et Strupha germanus, imperatorii praefecti comes. Per has injurias reliqua hyeme, vere cum parte aestatis exacta, Henricus pisani caeli gravitate non parum affecta valetudine, Nonis augusti in Robertum regem, terra marique bellum gesturus Pisis profectus est: jam civibus, ob immodicos in eos sumptus, germanosque milites gravis. In itinere Castrum Florentinum ad Elsae profluentem situm oppugnare aggressus, irrito incepto abire coactus est: Senarum moenia, ob Guelphorum multitudinem vitata urbe, praetergressus, Maceretum medicatis aquis celebre maritimae orae oppidum adiit. Inde morbo ingravescente, quem et vapor aestivi solis, et viae jactactio in dies augebant, Bonconventum

profectus, in eo oppido IX. Kal. septembris extinctus est. non sine veneni infamia, quod Roberti regis Guelphorumque opera praebitum in consecrati panis offa, per summam impietatem, quidam memoriae prodidere. multo certiore illorum fide, qui ejus rei testes, morbo absumptum, nulla veneficii mentione scripsere. Corpus Pisas delatum summoque honore, in basilica principe sepultum: tumuloque ad hanc aetatem a loci sacerdotibus, stato funeris die parentatur.

Henrici mors, ut Pisanis Ghibellinisque tristis, ita Guelphis, ac praecipue Lucensibus maximo gaudio excepta. ad eum nuncium aperti carceres, aes alienum nexorum persolutum: actaeque superis, ac praecipue D. Bartholomaeo gratiae, cujus festo die tam infensus acerbusque hostis extinctus erat. quare in ejus Divi honorem octo dies debitorum commodo, feriis in D. Reguli cultum a Kal. septembris celebrari solitis adjecti. quod institutum ad nostram memoriam durat: festoque Bartholomaei die feriae debitorum initium ducunt. Pisani vicinorum odiis, qui eos tamquam omnium Etruriae malorum auctores aspiciebant, undique septi; rerum suarum trepidi, pacis cum Lucensibus mentionem injecere. locus ad colloquendum Aquae pisanae lectus; quo legati

Pisanorum Pelagius Lugnastus, Gerardus Fasolus, Dominicus Boncontes, et Jacobus Calcensis scriba: Lucensium vero Bontura Datus, Dinus Margotus cum tribus collegis convenere. neque tamen quicquam perfectum, Bontura praecipue repugnante. quem ferunt contentione elatum cum de oppidis, quae Lucenses occupaverant, ac nominatim de Asciano reddendo ageretur, contemptim dixisse, matronas pisanas sine speculis acturas. quo joco reddi Ascianum minime passurum significabat: in cujus turribus, ut dictum est, specula ingentis magnitudinis Lucenses collocaverant, ut solis repercussu fulgorem longe jaciendo, a Pisanis Lucensium victoriae, inertiaeque suae monumentum conspicerentur. Pisani pacis spe dejecti cum Lucenses, aliosque guelpharum partium populos hostes habendos cernerent, ut magno aliquo praesidio ruentem fortunam fulcirent; sicut Florentini urbis suae imperium Roberto regi detulerant, ita ipsi Fridericum Siciliae regem Roberti aemulum, qui prope cum classe aderat, pisanae reipublicae principem elegere. Is reditum in regnum causatus, cum oblatum imperium recusasset, versi ad Allobrogum, inde ad Belgarum regulos: a quibus repulsam passi, Ugutionem Fagiolanum respexere, clari nominis ghibellinarum partium ducem,

et ut natalium splendore imparem, ita militari virtute anteferendum. Natus erat Ugutio Massae Trebariae, Galliae Togatae oppido: nactusque saeculum bellorum ferax, a prima aetate arma tractaverat. corpus illi ingens, viresque corpori pares. manu aeque ac consilio strenuus; et fortiter facere, et sapienter prospicere, ubi res posceret, guarus. pluribus praeliis nobilitatus, sed praecipue insigni ad Caeronium pugna, ubi a suis desertus, solus, dux, miles, exercitus fuit: quatuor pilis, tredecim verutis tormento excussis clypeo exceptis, altero crure vulnerato, galea ictibus collisa ad suos reversus, parem periculo famam tulit. huic viro Pisani armorum suorum imperium detulere: qui dominationis avidus, ad quam ea praefectura viam sterni sibi cerneret, Genua, in qua urbe ab Henrico ghibellinae factioni rector datus agebat, septembri mense profectus, magno populi gaudio Pisas intravit. Per initia comis et humanus, omnia populariter agere: donec firmata potentia, ex praefecto repente dominus, moribus suis uti coepit. asper, immitis, ac in sententia pertinax, cuique nemo impune adversatus esset. animos praecipue fero homini faciebant germani milites, quos ad octingentos, ex reliquiis caesariani exercitus mercede conduxerat. eos satellites custodesque cor-

poris adhibebat: qui et corporis mole, et truci, qualis barbaris esse solet, aspectu terribiles, nemini audendo contra spem aut animum reliquerant. Alienatos Pisanorum animos nulla re tyrannus reconciliandos sibi magis gnarus, quam si Lucensibus bellum intulisset, de eo agere coepit. Sponte irato, Ghibellini exules quotidie stimulos addebant, Podii, Honesti, Quartigiani, Antelminelli; interque eos praecipue Castruccius, quem juventae flore ac robore validum, excelsa indole, et ad magna genitum Ugutio conspicatus, in paucis carum habebat: nescius quam pestem sibi suisque in sinu aleret. Itaque sumptis armis Ugutio in lucensem agrum transgressus, cuncta igne ferroque vastando, praedasque agendo magnum terrorem intulit: prima belli tempestas valli, in qua Butenses sunt, incubuit. quo cum Lucenses peditum equitumque copias submisissent, multo validiore Pisanorum acie, fusi fugatique ingentem cladem accepere. multi caesi captique: inter quos Paganus Quartigianus illustris eques, copiarum dux, ex vulnere periit. Caesis fugatisque Lucensium copiis, Ugutio totam regionem depopulatus, incendiis ruinisque omnia deformavit. inde in proxima loca digressus, paria Computensibus Vurnensibusque intulit. cum interea Lucenses trepidi e

muris fumum flammamque conspicerent, ac prope captorum morientiumque gemitus exaudirent. Multum incusata Bonturae superbia, qui pacem cum Pisanis disjecisset. quare in ejus aedes concursu populi facto, parum abfuit quin vivus discerperetur; nisi amicorum beneficio servatus, occulte in D. Romani aedem traductus, furentium manus evasisset. Externis hostibus damnosior intestina discordia erat. Scissa in duas factiones civitate: quarum alterius Lucius Obicius, alterius Henricus Bernarducius duces erant. quae inter se dissidendo, cum alii bellum, alii pacem cum Pisanis cuperent, neutri adversus comunem hostem auxilio erant. Ugutio cum optima praeda, magnoque captivorum numero Pisas reversus, paucis diebus ad quietem militi datis, iterum in Lucenses castra movit: perque Julianum montem, in subjectam vallem Massam usque progressus, urere ac vastare agros, villasque coepit. Cives admoto discrimine saniores effecti, privatis discordiis in tempus omissis, pedites equitesque obviam ad Tectum Pontem ivere: ne illo occupato, hosti liber ad urbem transitus esset. Ugutio pontis aditu exclusus, copiis in duas partes divisis, alteram e superiori, alteram ex inferiori Auseris parte, tumultuario ponte injecto transire jubet. quod

ubi a Lucensibus conspectum, deserto ponte, citato agmine in urbem redeunt; ne hostis defensoribus nudatam, subito impetu invaderet: Pisanorum agmine, recedentium tergis usque sub ipsas portas, caedendo vulnerandoque instante. ibi Lucensibus pudore in pugnam conversis, atrox praelium commissum, multique utrinque caesi vulneratique. Sed cum nostri numero obruerentur, magna trepidatione intra portam se se recipere coacti, pugnam deseruere. Nec hostibus eo loco diu consistere licuit, cum tormentis ballistisque excussa e muris tela in illos ingererentur. Quare conversis signis retro agmen abduxit, suburbano D. Petri vico direpto ac incenso: statutisque in conspectu murorum geminis arborum truncis, quibus ingentia specula imposita, cum inscriptione, qua Bontura ut in iis inspiceret, quam male suis consuluisset, per ludibrium admonebatur. Magna eo die clades accepta, cum multi equitum effusa fuga, alter alterum impediendo, aut in fossas demersi, aut obtriti equorum pedibus fuerint, multo majore in ingressu portae strage. Quippe dum quisque aditum occupare festinat, invicem oppressi ac obtriti, ad CCC. eo praelio interfecti. inter quos praefecti militares Guido Christophorus, Guido Boccansochius, Vannes Bur-

gundio, Dinus Albicius, et Cecius Gaugus, cum vivi in hostium potestatem venissent, primum effossis oculis crudeliter vexati, dein mori adacti. Numerus captivorum CC. explevit: in quibus capti illustres viri, Landus Armatus, Philaeus Colucius, Obicius Porta, et Tingus Scottus. Secundum eam pugnam, cum Pisis turbatum esset, Ugutio domum concessit: frementibus germanis, qui jam ditia Lucensium spolia spe et opinione hauserant. Quare per iram ab iis castra ad Pontem Tectum incensa, vicus combustus: signis marmoreis, quae in memoriam liberatae a tyrannide Longobardorum Italiae ad suburbanum D. Petri vicum steterant, avectis: ablata etiam clava ferrea, quae Grandonii lucensis, cujus supra memoravimus, fuisse ferebatur, pependeratque ad eam diem, tanti viri bellicae virtutis monumentum. His cladibus attriti Lucenses, gliscente in dies domi discordia, in magnam desperationem retinendae reipublicae venerant. Nam etsi a praefecto regio, qui Florentinis Senensibusque imperitabat, auxilia interdum submitterentur, ad eorum adventum tyrannus Pisas se recipiebat, ob loci propinquitatem urbe pro castris usus. cumque socii, aut morando fessi, aut opinione pacis decepti digrederentur, statim in lucensem agrum transgressus, omnia in

hostilem modum ut antea populabatur. Quare solis Lucensibus universa belli moles sustinenda erat: cui vix concordibus animis pares futuri, scissis in diversa studiis omnino minores erant. hostique cui fortasse una civitas restitisset, duae sine dubio succumbere cogebantur. Quare multum agitata re, Bontura etiam qui ab eo consilio maxime abhorrebat, in eam sententiam traducto, Obiciorum factione adnitente, imperium civitatis in annum Roberto regi, Florentinorum exemplo delatum. spe, regii nominis obtentu, donec ea armorum procella discuteretur, tutiorem futuram. Nam et regi, ut suam cordi magis fore: hostibusque casuram audaciam, ubi pro lucensi populo Robertum contra stare vidissent. Erat regi a consiliis Gerardus Obicius lucensis, qui consilium, cujus gentiles sui auctores fuerant apud eum urgendo, ut in clientelam regiam Luca reciperetur impetravit. Missus itaque (1) a rege qui Lucae ipsius nomine praesideret, cum Cantabrorum militum manu Gerardus Lupidius: adventu suo urbem tam foede e discordiis laceratam invenit; ut non minus negocii cum

(1) Ann. 1314.

civibus futurum, quam cum hostibus cerneret. Praecipua in invidia non apud Ghibellinos modo, sed etiam apud Guelphos, ob nimiam potentiam, Obicii erant: iisque premendis amici juxta, ac inimici laborabant. Incendebat odia Henricus Bernarducius, alterius factionis princeps, qui publicas calamitates attollendo, earum culpam in illos referebat: quod retinendae potentiae cupiditate, pacem cum Pisanis impedirent: omniaque ferro flammisque hostium aboleri quam invisos sibi cives in urbe videre mallent. « scilicet, ut illi principatum non » amitterent, vastari agros, disturbari oppi- » da, abduci captivos, urbem caedibus vi- » duari, cuncta humana ac divina pessum » abire patiendum esse. » Haec taliaque jactando, decemviros perpulit, ut coacto populi consilio, de pace cum Pisanis exulibusque referrent. ubi ad rogandas sententias ventum est, nemine pacem dissuadere auso, caeteris vultu aut silentio assentientibus, plebiscitum perrogatum est; lectique feciales, qui cum Pisanis de paçe transigerent. Legati utriusque partis Librafactam convenere: paxque in eas leges sancita, ut occupata jam pridem Pisanorum oppida remitterentur; Ghibellini exules, ac nominatim Antelminelli restituerentur: iisque bona ac honores redderentur: Guelphis

privati odii explendi cupidine caecatis, ne insidiosae pacis artes intelligerent. Exulibus in urbem reversis, major dissidii odiorumque seges exorta. praecipue ubi de bonis reddendis agi coeptum: quae jam emptione, mancipio, haereditate, aliove jure in alios aliosque transierant. nec ob inopiam aerarii, attrita tot cladibus civitate, erat unde e privatis publice redimerentur. Itaque clam coeptum consilium a Ghibellinis, urbem Ugutioni Pisanisque prodendae. ea ratione non sua modo recuperaturos, sed aliena quoque occupaturos. Duae et viginti patriciarum familiarum in eam proditionem consensere: inter quas, nominibus aliarum suppressis, fuisse reperio Podios, Honestos, Fatinellos, Quartigianos: sed maxime omnium Antelminellos Castrucciumque: qui privatas injurias patriae interitu ulcisci, jus fasque credebant. Aliquot dies proditioni apparandae dati: condictumque, ut ubi satis provisae instructaeque res forent, album vexillum e turri Velii (quae nunc Bernardorum appellatur) a conjuratis proponeretur: idque signum Ugutioni esset cum copiis Lucam adventandi. Conspecto vexillo tyrannus cum XI. millium, et quadringentorum militum manu Pisis profectus, XVIII Kalendas julias urbi improvisus superfuit. Guelphi sero intellecta fraude, sum-

ptis armis, Lucio Obicio duce, ad oppugnandas Honestorum, ac Fatinellorum aedes pergunt: in quibus Castruccius Ghibellinique, ut ex ea parte tyrannum in urbem introducerent, armati opperiebantur: munierantque firmis praesidiis omnes suburbanorum vicorum arces; ac praecipue ingentem basilicae Longobardorum turrim portae proximam, ut hostibus tutus in urbe aditus esset. Sed cum praestantia eorum qui privatas domos propugnabant, parum proficeretur, relictis iis ad oppugnandam basilicae turrim perrectum. Atrox ibi pugna extitit: sed injecto igne, turris tandem expugnata, praesidiumque partim flammis, partim ferro absumptum. inde ad porticum basilicae profecti, quam Ghibellini occupaverant, ibi quoque multa utrimque caede acriter pugnatum. Dum cives inter se praeliantur, Ugutio cum suis jam ad muros pervenerat: copiisque in tres partes divisis, alii per portam e regione pratorum, alii per eam quae ad Arcem imperatoriam ad D. Georgii erat, a Ghibellinis recepti. ipse ab ea regione, quae in septemtriones versa est, ad D. Frigdiani stetit: portulaque igni dolabrisque effracta, milites partim per eam, partim admotis scalis, magno tumultu in urbem irrupere: maxima Ghibellinorum, paulo minore Guelphorum infamia: qui, si quas vires in se

exeruerant, in hostem vertissent, aut prohibere omnino cladem, aut honestius saltem cadere potuissent. nunc dum civilem sanguinem invicem hauriunt, patriam defensoribus nudatam tyranno praedam reliquere. infelici documento, capi Lucam non ante ab externis potuisse, qua se ipsa cepisset. Regius praefectus ubi hostes ingressos, captamque urbem sensit, una cum Guelphis altera porta evasit: aliique in caetera oppida ad Arnum Naevulamque, ipse in Phocenses concessit: quo jam Florentinorum copiae de Lucensium periculo admonitae, sera misericordia pervenerant.

Tyrannus victor urbem ingressus, diripiendam militibus dedit. a quibus tanta libidinis, avaritiae, crudelitatisque exempla edita memoriae proditum est, quanta in alia urbe capta non temere leguntur. Erant in exercitu Pisani, Pistorienses, Germani, adjunctis exulibus: quorum alii inveterato, alii recenti in Lucenses odio, alii ingenii ferocia praedaeque cupiditate miserae civitati infensi veniebant: sanguinario duce, et cui nil nisi incendia ac rapinae cordi essent. Itaque velut lymphati per vias discurrunt, alios capiunt, alios ferro interficiunt: non aetati, non sexui parcunt. Virgines matronaeque passim ad stuprum raptae. quarum unam tanto dedecoris dolore affectam tradunt,

ut moerore ac lacrymis contabuerit, ac inedia vitam finierit: ingressi aedes, tot annorum labore congestas opes, quae obviae sunt, avide diripiunt: alii ferrum pectori dominorum admovent, ut si quae occultassent, metu mortis proderent. quidam etiam ob eam suspicionem cruciati tortique. Nec avaritia intra privatum profanumque stetit. nullo discrimine templa sacrasque aedes irrumpunt, aurea ac argentea vasa confringunt, sacras vestes rapiunt, aras cultu spoliant. Quo tempore direpta romanorum pontificum gaza, quam Clemens Roma in Galliam asportandam Gentili ex purpuratis mandaverat, isque eam, Lucam usque delatam, metu armorum, quibus pisana, genuensisque ora ardebat, apud basilicam D. Frigdiani deposuerat. qua una praeda supra decies centena millia aureorum periisse constat. Nec vetustis tabularum monumentis militaris rabies abstinuit: direptique sacrosanctae antiquitatis thesauri, praecipue ad D. Frigdiani, maximo posteritatis incommodo. quamquam nonnulla pontificis maximi execrationibus coactos, reddidisse Pisanos, quidam auctores sint. Octo continui dies diripiendae urbi, et antiqua opulentia, et recentibus praedis refertae, insumpti: cum denique novissimo barbarae crudelitatis exemplo, flammae Guelphorum aedibus injectae, caete-

ris cladibus misericordiam abstulere. ardebat, veluti continenti incendio civitas: quippe major civium numerus ab iis partibus steterat: cunctaque parietum turriumque ruinis strepebant. Cum interea feminarum ejulatus, ac dissonus clamor, aliorum flammas fugientium, aliorum inter incendia pereuntium, tectorum fragori mixtus, miserabilem hostibus ipsis sonum edebant. Ad mille quadringentas domos absumptas ea clade satis constat: multis mortalibus incendio ruinisque passim obrutis. praecipue in Obiciorum, Porcariensium, Raffanellorum, qui factionis adversae principes fuerant, saevitum. ut qui spectavere, caelestium irae longa patientia jam fessae, potius quam humanis consiliis, tantam calamitatem tribuendam putaverint. Nec Ghibellinis impune omnino fuit. Sed in ea gladiorum licentia, in hostes aeque ac in amicos consultum. et sicubi formosa mulier, aut ornata domus occurrisset, hostium erat. In tanta clade, Pistoriensium acerbitas maxime eminuit; qui caedibus rapinisque super caeteros saeviendo, patriae servitutem, bonorum jacturam, exilium fugamque a Lucensibus exigebant. Postquam lassae avaritiae ac crudelitati desinere visum, tyrannus a praeda injuriisque ad ordinandam rempublicam conversus, magistratus ghibellinarum partium creavit: ejusdemque fa-

ctionis hominibus, praefecturas arciumque custodiam dedit. Nec minus in evertenda quam constituenda civitate saevus: magnum familiarum numerum (trecentas fuisse memoriae proditum est) in exilium expulit. Obicios praecipue, qui prae caeteris, ob nimiam potentiam, in invidia erant. quarum aliae in Galliam Germaniamque, aliae in Belgium, ultimamque Britanniam: pleraeque Venetias, aliasque Italiae urbes, migravere: eo consilio, ut si quando ea tempestas consedisset, in patriam ex propinquo reditus esset. Eas multi clientum artificumque sequuti, urbem frequentia ac divitiis vacuam fecere. Per eam occasionem, sericorum pannorum, vestisque attalicae opificium, quo Luca tota Europa celebris habebatur, in alias regiones propagatum. Sed unum maxime Ugutioni cordi fuit, ut ea victoria potentiam firmaret. Quapropter, ut quod armis jam erat, lege etiam diceretur, dominum se in X. annos Pisarum Lucaeque, utriusque populi suffragiis creandum curavit. Tabulae de ea re Lucensium Pisanorumque auctoritate confectae: quibus Lucensium nomine Dato Moriconus, Coluccius Mingogius e numero decemvirorum; Nicolaus Porcus Podius, et Benedictus Quartigianus equestris ordinis; Antonius Antelminellus iudex; Joannes Carincionus, et Rustichellus Boccansochius

juris consulti: pro parte vero Pisanorum interfuere Nerius Compagnus, Noccus Bertinus decemviri: ac praeterea Lippus Caprona, Jacobus Facellus, Joannes Benignus Vicensis, Bonaccursus Collensis, et Paulus Perfectus. Ex quo tempore, Luca ante guelphis partibus tam fida, ad Ghibellinos traducta. Per hunc modum utrique reipublicae erepta libertate, Ugutio Pisis Lucaeque rerum potitus est. haud multo laetioribus ejus tyrannide Pisanis, qui illum evocando fovendoque, tot malorum Lucensibus, totique Etruriae auctores fuerant. His peractis Ugutio ad Lucae custodiam cum praesidio militum Nerio filio relicto, cum reliquo exercitu Pisas rediit. novum bellum in caeteros guelpharum partium populos meditans: jam unius urbis tam validae opulentaeque expugnatione, Etruriam omnem animo complexus. Lucae casus Etruriae universae gentibus, sed Florentinis praecipue terroris fuit: qui quae ipsis quoque patienda forent, alieno exemplo edocti, omni ope se ad sustinendam tanti belli molem comparabant. Et illi quidem ad primam periclitantium sociorum famam, cum copiis in auxilium profecti erant: sed tardius clade subsidium fuerat. Itaque in itinere tristi nuncio de Lucensium calamitate accepto, ut vires hostibus adimerent, oppida lucensis agri ad Ar-

num occupavere: nempe Phocenses, fanum Mariae ad Montem, Calbulum, Crucis fanum, Francum, Toporium; captis quoque circa Naevulam fluvium, Catino, ac Summano. Nam Serram, sub ipsum Lucae casum, Albati exules Pistoriensium Luca illuc profecti, militum qui ei praesidebant proditione occupaverant: cum Guelphi Pistorienses per avaritiam CCCC aureorum summam praesidio pendere recusassent. Igitur tanta belli tempestate Etruriae imminente, Florentini legatos in Apuliam ad Robertum regem misere, qui tuscarum rerum statum docerent, orarentque ut aliquem ex regiis fratribus cum subsidio submitteret: aliter guelphas nigrasque partes omnino in Etruria deletum iri. Inter haec Clemens pontifex fato concesserat: si abductae trans Alpes romanae sedis maculam excipias, caetera laudandus, concilio pontificum Viennae ad Rhodanum habito, expeditione in Palestinos comparata, Rhodo a barbaris recepta. Obfuit etiam illi nimium in Philippum regem studium; quo creditur multa contra jus fasque commisisse: in iisque Templariorum equitum excidium, quos falsis criminibus in gratiam regis oppressos, fama eorum temporum, seu jure seu temere vulgavit: condonataeque illi eorum opes, infamiam auxere. Cadaver ante quam tumulo in-

ferretur, fortuito incendio semiustulatum: haud felicioribus auspiciis coepto quam posito principatu. Illius mortem brevi funus regis consequutum, rumori fidem adjecit, quo appellatos a summo Equitum magistro, insontem se mori usque ad ultimum spiritum vociferante, intra annum vertentem ad aeterni judicis tribunal sistendos, ferebatur. Quae seu vere, seu recenti tunc invidia composita, ad posteritatis famam perinde valuere. Caeterum infortunatum mortis genus, quippe ab apro inter venandum interfectus est, tres liberi sine prole extincti, totidem incestae nurus, manifesta caelestium irarum indicia extitere, capti irrisique olim Bonifacii poenas expetentium. Clemente mortuo, per patrum discordias in biennium ac tres menses novi pontificis renunciatio extracta. Nec minoribus dissidiis romanum imperium scissum erat; cum alii septem virorum Fridericum austriacum Alberti filium; alii Ludovicum e Noricorum, quos Bavaros postera aetas appellavit, regulis, imperatorem legissent. Quare inter eos diuturnum certamen, caedesque ac strages hominum utrinque factae; Ludovico praecipue, tanto majore conatu regnum asserente, quanto romanum pontificem causae suae iniquiorem cernebat. inde mox acerba utriusque odia, religionis secessiones, totoque

christiano orbe turbae, quarum rerum non modica pars Lucenses Castrucciusque extitere, ut suo tempore memorabimus. Robertus audita Lucensium clade, quoque in discrimine etrusca res esset; statim Petrum e fratribus natu minimum, cui tempestati cognomen, cum CCC equitum lectissimorum manu, maturare iter jussit. Erat is eximio aetatis flore, nec minus robore corporis, quam consilio, quantum ea aetas patiebatur, validus: tamen regni proceres, rectores tutoresque juveni dati, quorum sententia res gererentur. Excepere eum summis honoribus, tamquam caelo delapsum Florentini: sed paulo post, cum parum praesidii in eo putaretur, Philippum, alterum regis fratrem Tarentinorum regulum accersendum decrevere: quem Ugutioni Germanisque opponerent. qui mature cum quingentis equitibus, inter Florentinorum auxilia in Etruriam transgressus est, eam clade sua nobilitaturus: adversa regis voluntate, qui Philippum majoris pertinaciae, quam sapientiae, eumdemque parum felicem bello noverat. et nisi adversa fortuna, Florentinorumque praecipitantia, semper prudentiae inimica, omnia temere festinasset, rex filium cum majore virium robore, rebusque melius instructis mittere statuerat. Quod post acceptam calamitatem, vera aestimatione demum

patuit, postquam sanorum consiliornm tempus effugerat. Dum bellum in Florentinos comparatur, interim Pisani oppidis receptis, quae jam diu ab Ugolini comitis tempore Lucensium fuerant: ex iis Ascianum, Quosam, Castellionem Vicumque ad Aesaris pontem solo aequavere: tamquam nimium jacturae exposita, primamque hostium invitationem. Eadem clade in Nuptianum saevitum, vetus lucensis agri oppidum, fraenumque adversus Pisanorum excursiones, jam inde a principe femina Mathildi in eorum finibus extructum. Librafacta una cum maritimis oppidis Viaregio ac Mutrone, propter loci opportunitatem, retenta. nec non Rotarium in Versilia servatum. Primus belli turbo in Pistorienses effusus. Nam Ugutio calente adhuc victoria, in eorum agrum profectus, Carminianum usque populabundus excurrit. paria in Volaterranos maritimamque oram, ac Miniatenses ausus: quibus Cigulum oppidum, aliaque loca per vim ademit: multisque damnis affecit. inde Calbulum, quem Florentini occupaverant aggressus, deditione recepit. Hac armorum felicitate tyrannus audacior, oppida ad Naevulam amnem, quibus Guelphi lucenses se tuebantur, aggredi statuit. Erant in exercitu illius, praeter Pisanos, Lucenses, Germanosque, auxilia gentium ghibellinarum ex universa

Etruria: Matthaeusque vicecomes, qui Mediolano imperabat, regulique Florenses (1), quique Arretio dominabatur Tarlatus antistes, equitum peditumque subsidia submiserant. Stabant itaque sub signis, tria equitum, triginta peditum millia in quatuor acies divisa; quarum uni Ugutio ipse, alteri Castruccius, caeteris Franciscus ac Nerius tyranni liberi praeerant. cum his copiis in eam regionem castris motis, in itinere Gallenam, in aditu phocensis silvae captam a solo evertit: incolis iratus, quod aliquandiu strenue obsistendo, victoriae ipsius impetum retardassent. inde Cappianum, Arnique paludes progressus, prohibendo Florentinorum transitu pontem solvit. mox traducto ad laevam exercitu, adjectos Naevulae amni campos intravit (2): castrisque in ripa fluminis positis, Catinum obsidere statuit: regionis ejus oppidum, situ ac munitionibus maxime validum. quippe elati montis jugo insidet, quod in duas partes veluti capita divisum, uno meridiem, altero septemtrionem spectat. media fronte in orientem occidentemque obversum. ipsum vero oppidum, per acclive laterum utriusque verticis ex adverso porrectum, in carinae mo-

(1) Conti di S. Fiore.

(2) Ann. 1315.

dum in medio curvatum subsidit. ingenio loci tutum moenia, turresque quadrato saxo extructae, cum ingentis operis arce firmius reddebant: quorum operum disjectae moles, grandibus ruinis, magnitudinem stantium visentibus monstrant. Hunc locum Ugutio obsidere aggressus, plures munitiones, ad itinerum aditus excitavit; stationibus ubique dispositis, ne aut deferri commeatus, aut subsidia ad obsessos penetrare possent: unam potiendi rationem ratus, si fame urgeret. Florentini audita Catinensium obsidione, et ipsi collectis undique copiis ex universa Etruria, Flamminiaque una cum regiis auxiliis tria millia et ducentos equites, ingentem peditum numerum, ducibus Philippo, Petroque regis germanis, Caroloque Philippi filio, secum trahentes; et ipsi ad Naevulam flumen, ex adverso castrorum tyranni consedere. plures dies quiete transacti, neutris se in discrimen pugnae committere audentibus. Ugutio praecipue cautior, quam animosior praelium refugiebat, copiarum numero inferior: satis ducens locorum munitionibus se tueri: quantumque socordiae, desidiaeque Florentinis securitas contemptusque; tantum vigilantiae curaeque metus tyranno dabant. modicae tantum concertationes utrinque, in experimentum summae totius exortae: nec ultra

processum, medio flumine totas vires justumque praelium prohibente. Philippus, caeterique Florentinorum duces, unam solvendi obsidionem, aut ad pugnam eliciendi hostis viam rati, si eum commeatu interciperent; Lucenses guelphos ire jubent, gnarosque locorum occupare iter, unde Luca in castra commeatus subveherentur. itaque insessis collibus ad D. Martini fanum, unde per angustas fauces vallis intratur; dejectoque hostium praesidio, captis, aut interfectis qui obsistere ausi fuerant; inter quos octo e Quartigiana familia periisse constat; ita omnes aditus clausere, ut tyrannum jam biduum commeatu interclusum, ad famem cogerent. Itaque desperatis rebus, noctu incensis munitionibus, castra inde movit: eo consilio ut si hostes fefellisset, Pisas se reciperet; sin vero pugnandum foret, e loco superiore praelium iniret. Princeps Tarentinus sub lucem comperta hostium fuga, ad eos insequendos profectus; dum trepide ac festinato omnia aguntur, non servati ordines, non caetera e militiae disciplina peracta, ut quibusdam etiam festinandi studio justa arma deessent. Ugutio ubi adventare hostes sensit, silva e regione Bujani occupata substitit, aciemque in pugnam direxit. Senenses, Collensesque aliique e foederatis Etruriae populis, in prima Florentino-

rum acie stabant. in eos Ugutio Jacottum Malespinam, praetoriae cohortis praefectum, et Franciscum filium cum CL equitum ala immisit: cujus impetu obturbati hostes, partim caesi, partim in fugam versi, omen summae totius fecere. Equitatus victor prima acie fusa, ad secundam pervenit, cui Petrus regis frater praeerat, equitatu Florentinorum validam. ea fessos primo praelio Ugutionis equites adeo ferociter excepit; ut quamquam strenue pugnantes, caeso magno ex eis numero, tandem fuderit, fugavitque: ducibus quoque Francisco tyranni filio ac Malespina interfectis. Ugutio cognita filii morte, dolore simul ac ira, praeter insitam ferociam, versus in rabiem, Germanorum cohortem a latere in equitatum hostium immisit. quae reductis hastis, tanto impetu in equites invecta est, ut subito tumultu turbatos terga dare coegerit. sustentatum aliquandiu praelium in ea parte, qua Petrus, Florentinique exules erant: donec ipsi quoque impetum hostium minime sustinentes solutis ordinibus fugam arriperent. Tum vero caedes magis quam praelium fuit: tyranno in ultionem filii vociferante, ut nemini parceretur. cecidit in ea pugna Petrus regis frater; cujus cadaver, in caesorum strage nusquam repertum, flumine haustum, demersumque creditum. periit

una cum illo Carolus Philippi filius: regia domo duobus funeribus tristi. Philippum valetudo periculo exemit: quippe eo die febri correptus praelio minime interfuit. Alii quoque insignes duces, cum multis nobilium caesi. tantaque hominum strages fuisse dicitur, ut pauci Florentiae, Senis, Perusii, Bononiae, Neapoli fuerint, ad quos ejus cladis luctus non pertineret. Qui ferro superfuere, alios Pistorium, alios in Phocenses silvasque fuga sparsit. plures effuso cursu improvide ruentes, Arni paludes gurgitibus hausere. Numerum caesorum aliqui ad multa millia augent; tantamque editam stragem asserunt, ut Naevula ac Bura cruento amne fluxerint. Villanius eorum temporum scriptor, ad duo millia interfectos, ad mille quingentos captos memoriae prodidit: plerosque tamen nobiles et honestos. duo vexilla regis, aliaque signa militaria novem capta. E parte victorum Franciscus tyranni filius, Jacottus Malespina, Caporachius, et Stephanus cardinalis pratensis fratris filius, sexque Germani e primoribus desiderati: vulneratique graviter Luchinus vicecomes et Castruccius Antelminellus; qui eo praelio egregiam pro tyranno edidit operam, omnia militis, ducisque partes strenue exequutus, e turba militum CCL. equites, CXX. pedites tantum numero abfuere. in ea victoria

praeter caeteras clades illud crudele, et animi rerum humanarum fortunae parum memoris extitisse dicitur: quod Ranerius pisanus Donoratici comes vindicta Gerardi avi, quem in Conradini castris inventum Carolus rex olim suppliciis affecerat, Carolo juveni insultans, equum per jacentis cadaver egit. avi manibus invocatis, cui gratissimum donum mactatam bello victimam ad inferos nepos mitteret. Haec est Guelphorum circa Buram amnem prope Catinum clades in paucis memorabilis: quae IV. Kal. septembrium diem universae Etruriae nefastum effecit. Abfuisse eo praelio Ugutionem valetudine detentum, ejusque loco Castruccium cum imperio praefuisse Machiavellus est auctor. summam quoque caesorum, augendi immodicus attollit: alias in scribendis Castruccii rebus fallax, nec minus dubiae fidei quam religionis. Secundum eam victoriam Ugutio Catinum profectus, deditione oppidum obtinuit: Guelphisque abire permissis, Ghibellinos restituit. eodem modo Summano potitus, Bujanum se recepit; edicto ut quicumque captum bello hostem haberet, nulla mora repraesentaret. Plures e lucensi nobilitate guelpharum partium exhibiti, inter quos praecipui, Ubaldus Costorius Obiciorum stirpe, et Orlandus Malapresa: quem postremum Lucam in custodiam misit;

Ubaldum praecipua in obiciam gentem ira statim securi percussit; ut morti dedecus adderet, fimi acervo impositum. tum caeteris ejus tractus receptis oppidis, arce ad Vivinariam capta, munitionem quoque in collibus ad D. Martini aggressus, in quam Bonifacius porcariensis cum LXXX. circiter Guelphorum se se receperat, utramque incendit, soloque aequavit: vix utriusque extante vestigio. Inde Pisas converso itinere, tanta victoria elatus, urbem triumphantis more intravit; missoque Lucam cum imperio, quem Pisanis invisum noverat, Nerio filio, ipse eis regendis substitit: quos una cum Lucensibus ex eo tempore, secundo rerum cursu abreptus acerbo immitique dominatu habuit. Sed, tyrannorum fortuna semper in lubrico, quibus artibus continere dominationem credidit, iisdem amisit: odio metuque pessimis imperiorum custodibus. Apud Pisanos quamquam alias de iis optime meritum, tum caetera facinora, tum Banduccii Boncontis ejusque filii supplicium invidia premebat. quos principes civitatis et amore vulgi insignes, tamquam Roberto regi urbem prodere molirentur, in falsum crimen vocatos securi percuti jusserat. Nulla apud Lucenses gratia, odium saevitia captae direptaeque urbis partum, in dies ipse impotenti dominatu, Nerius filius saevo ministerio augebat.

Cum demum fortuna, excutiendi jugum hoc initium fecit. Nimia apud vulgus Castruccii gratia popularisque favor, suspiciosi et senis, et tyranni animum torquebant. robur aetatis, sanguinis claritudo, excelsa indoles, indolique par manus: quaeque aliae in justo principatu virtutes habentur, tyranno pro vitiis erant. Itaque suspectum invisumque perdendi omnem occasionem circumspicienti, se tandem praebuit. Imbutum a puero Guelphorum odio juvenem recens victoria magis incenderat. Quare a tyranno digressus cum Lucam se recepisset, vix percurato vulnere, pacis quietisque impatiens, cum manu sodalium, qui se se illi adjunxerant, in Versiliam lunensemque oram excurrens, praedas rapinasque ac hominum caedes fecerat. Ea ad tyrannum delata, quae in alio praemiis affecisset, Castruccio crimen fuere. Scriptis codicillis Nerio mandat, ut comprehensum, quaestionibus habitis, tamquam caedis reum capitali supplicio tollendum curet. Nerius, si palam ageretur, tumultum veritus, invitatum ad caenam de more, per comitatis simulationem, injectis catenis vinctum custodia includit. Vulgata per urbem juvenis captura, iniquos de ea re in omnibus circulis rumores seri: alii aperte fremere, vimque adhibendam jactare, si quid gravius in eum tyranni consu-

lerent. jam apparere quid caeteris sperandum sit, si fortunae illorum auctori, ea pro meritis gratia referretur. Ugutio de Castruccii captivitate certior factus, nunciis aliis super alios missis, ejus supplicium urgere. sed filius populi seditionem veritus, patri rescripsit, nisi ipse cum valido praesidio Lucam venisset, nunquam se tanti viri necem ausurum. Destinatus supplicio dies III. Id. aprilis pervigilio dominicae Resurrectionis, quod in eum incidit sacer. Itaque Ugutio cum lecta CCCC. equitum manu Pisis profectus, superato monte, ad fanum Mariae, ut erat non profundae modo, sed intempestivae voracitatis, pransurus substitit. Ubi cum jam jugum transgressus Pisis constitit, statim Coscetto collensi duce, plebejo ingentis animi juvene ad arma conclamatum. irata plebs ad tyranni aedes confluunt, praesidium obtruncant, captas diripiunt, direptis flammam injiciunt evertuntque: nominique ejus per urbem discurrentes male precantur. Ugutio citatis nunciis, Pisarum consternatione audita, tantae dementiae extitisse fertur, (sive ea fidentis animi securitas fuit) ut mensam tolli nisi jam satur, post bellaria ac poma vetuerit. tunc demum conscenso equo, conversisque signis Pisas cursu profectus clausas portas validoque praesidio firmatas, munita omnia reperit. de-

sperato aditu, effusis habenis Lucam advolat, ut eam saltem retineret. Sed Lucae, audita Pisarum defectione, jam tumultu omnia fervebant. Non minore studio Lucenses ad arma concurrunt, Quartigianis, Honestis, Podiis praecipue adnitentibus, qui se non pro merito proditionis habitos indignabantur. alii ad portas murosque, alii ad obsidendum praetorium, alii ad effringendum carcerem, educendumque Castruccium properant. perfracta sera evulsisque foribus, juvenem, ut erat catenis oneratum, in publicum efferunt: laetisque acclamationibus virtuti ejus plaudunt. eumque populi ducem consalutant: tam intemperanti plebis gaudio, ut tunc primum natam urbem diceres. ferreae manicae, in memoriam facti, e turri paternae domus suspensae, ad hanc aetatem spectantur: impotentis fortunae ludibrio e carcere ad solium efferre gaudentis. Ita insperato Castruccius Lucae rerum potitus, non elapsus modo supplicium, sed adeptus imperium; ea sapientia armorumque gloria tenuit, ut inter, non ejus modo, sed omnis aetatis clarissimos principes ducesque locum meruerit. Interim Ugutio ad portas pervenerat, quas ubi clausas imperviasque videt, audito quid in urbe gestum sit, una cum Nerio filio, quem Castruccius per summam clementiam inviolatum urbe sub

custodia emiserat, excussus tristisque paucis suorum comitatus recessit. primumque in lunensem provinciam ad regulum Spinectam Malespinam ghibellinae factionis: inde Veronam ad Canem Scaligerum, qui illi urbi dominabatur, exulatum abiit. Apud quem, cum super mensam quantum comedere juvenis consuesset, incredibilia quaedam narraret (1), aliis de ejus fide ambigentibus, fertur Petrus Navus (2) sapientiae laude insignis, per jocum acerbe dixisse; nil se de juvene dubitare, cum senex duas urbes uno prandio comedisset: quippe constabat, potuisse eum tumultum comprimi, si convivium relinquere voluisset. In eo exilio post tot praelia, victoriasque inter primos ejus aetatis duces memorandus, inglorius privatusque Ugutio extinctus est: haud magna Pisanorum laude, qui cui magis quam ulli regum caesarumque obstricti erant, non retenta per cum modo, quae in praecipiti stabat, sed etiam aucta republica, ingrate hominem prodere sustinuissent. Tamen obliterata beneficiorum memoria, oris imaginem servavere: spectaturque adhuc Pisis equestris Ugutionis effigies in ce-

(1) Petrarcha l. 2, tract. 3, c. 47 rer. memorabilium.
(2) Petri Navi in eum jocus.

lebri Sepulchreto (1) prope basilicam principem; Castruccio juvenili aetate adstante, accipitremque ad aucupium praeferente: prasina veste induto, quod Ghibellinorum insigne fuit.

(1) Campo Santo.

LIBER VI.

BREVIARIUM LIBRI.

Senatus decemvirique post Ugutionem constituti. Castruccio imperium urbis defertur. ejus elogium. in Guelphos saevit. Lucensium, qui Venetias migrarunt, opes. Vincium Corelliamque expugnat. Ugutio recuperare principatum frustra tentat. Lucenses Apuanique se Castruccio dedunt. ejus in familiam Advocatorum saevitia. Viae, arces, pontes ab eo extructi. Florentinis bellum infert. Praefectus maritimae orae ad orientem a Genuensibus creatur. plura Florentinorum oppida capit. in Podios animadvertit. Arcem Augustam aedificat. Pratensem agrum depopulatur. Pisas frustra tentat. egregiam in Phocensibus pugnam edit. Arcem ad Brandellium extruit. Tedicis proditione Pistorio potitur Florentini Cardona duce cum magno exercitu in Castruccium procedunt. Topalsium capiunt. de obsidenda Luca agitant. insigne clade ad Topalsium funduntur: duce capto, amissis impedimentis. Castruccius Topalsium Carminianumque recipit. Signam capit. late suburbana Florentinorum depopulatur. equestres ludos sub moenibus agitat. regionem ad Arnum, Grovimque vastat. item ad marinam amnem. pecuniam Signae cudit. Triumphum romano

more agit. ejus pompa ac ordo. Murlum obsidet capitque. Florentini de republica desperant. Carolo Roberti regis filio in X. annos se dedunt. Castruccius regionem ad Pesam flumen depopulatur. Arno Florentiam obruere meditatur. Petrum Narsium Florentinorum ducem securi percutit. Carolus Calabriae regulus Florentiam venit. bellum summa ope in Castruccium parat. Ludovicus Bavarus Ghibellinorum accitu in Italiam venit. Quartigiani in Castruccium conjurant. Castruccius Apuam Bavaro obviam procedit. cum eo Pisas obsidet capitque. cum illo Romam pergit. eum in urbem admitti curat. ab eo comes Lateranensis, eques ac senator urbis creatur. Bavarus Nicolaum V. Pseudopontificem renunciari curat. Florentini Pistorium proditione capiunt. Castruccius Roma propere accurrit. Pisis potitur. Pistorium magnis operibus romano more obsidet; deditione oapit. ex eo labore morbum contraxit. eoque extinguitur. ejus funus, ac sepulcrum.

Continet acta annorum XII.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER SEXTUS

Raro alia civitas, tam mirabili fortunae lusu, ex summa calamitate repente in summam potentiam gloriamque pervenit; in quantam tyranno expulso, Lucenses inopinato evasere: non recepta modo praeter spem republica; sed magna Etruriae parte victoriis potiti, tanta rerum conversione, ut qui paulo ante direptam incensamque urbem viderant, quae tolerari bello possunt novissima experti, iidem spoliis triumphisque aucti; prolata dominatione ultra Macram Arnumque, iis etiam imperarent, quorum invidia libertatem imperiumque amiserant. Ugutione Lucae dominatu exuto, ad libertatem magistratusque reditum: lectique e singulis portis octo viri, ex iisque senatus constitutus: quibus adjecti decemviri, quinquaginta explebant. Primi post receptam libertatem decemviratum coepere Paganellus Sartorius, Puccinellus Lommorus, Puccinus Podius, Puccinellus a Porti-

cu, Landuccius Honestus, Spalla Rapondus, Ciuchinus Boccansochius, Vannettus Talgardus, Cecius Guinisius, Petrus Magistri. Verum ob bellicos Florentinorum apparatus, qui haud dubie lucensem agrum invasuri ferebantur, quod adhuc favore et impetu populari actum erat, placuit auctoritate senatus comprobari. Itaque patribus in curiam vocatis, Castruccius lucensis populi dux, factionisque ghibellinae, ac imperatoriae defensor, in annum creatus: Podiis praecipue, Honestis, Quartigianisque auctoribus: eadem potestate per agrum Pagano Quartigiano in idem tempus attributa: quod imperium ter Castruccio prorogatum, donec Anno MCCCXX. universi populi lucensis comitiis in principem dominumque electus est. Et quidem is erat Castruccius, ut quoniam ita ferebant tempora, nullius manu libertas honestius periret. Quippe inerant illi omnes egregiae artes virtutesque, quas in magnis regibus ducibusque sapientes cupiunt magis quam inveniunt. excelsa animi indoles, acre ingenium, vigorque spiritus, ne dum supra privatos, sed supra principes. ad haec consilium excellens, solertia in cavendo, sagacitas in providendo; nec minus in subeundis periculis audax, quam inter ipsa pericula interritus. nihil temere moliri, nihil aggredi. aciem primus ingredi, novissimus ex-

cedere. militis, ducis munia strenue obire: nullo sequi recusante, cum exemplo imperaret. nemo hostibus magis ex insperato adesse: celeritatem in bello maximam partem victoriae ratus. veteris militiae disciplinam gentium barbararum stolida ferocia bellantium vitio collapsam revocare, nemo illo plus aut scivit aut potuit: rei militaris, gloriaeque restitutor merito appellatus. nullus eo callidior instruere aciem, castris locum capere, urbes oppugnare aut tueri: omnia non minus romano more quam virtute agere. inde caeteris earum artium ignaris mirandus pariter ac metuendus: saepe solo nomine victor, non armis, quam fama plura conficere: vini cibique modicus, somnique ac caeterarum remissionum intra naturale desiderium modus finitus. eadem illi frigoris calorisque tolerantia: corpusque adversus labores invictum. Simulandi ac dissimulandi artifex: idem severus, idem comis blandusque: cum omnes illum metuerent, omnes amabant. prompta illi facundia, magnum imperatorum telum, quo ipsa arma in bellis armantur. conciliandis vulgi studiis maxime efficax: alios comiter appellando, alios spem pretiumque ostendendo, plerosque beneficiis emere: nullius rei nisi gloriae laudisque avarus. quaeque raro inter militares virtutes locum habent, fides atque religio

illi dilectae, seu verae, seu fictae semper gerendis rebus ingens momentum. Haec tanta ingenii animique bona, commendabat prospera valetudo, procerus corporis habitus, oris temperatus majestate decor, igneus oculorum vigor, subflava caesaries, vocis sonus, et caetera quae apud militare vulgus pro virtutibus habentur. Ad haec perpetua felicitas, tot gentes victae, tot urbes arcesque perdomitae id valuere, ut non alumnus modo, sed pene fortunae dominus putaretur. Obstabat tot laudibus, erga victos crudelitas; non tam ipsius, quam saeculi vitium. quippe divisis inter se non gentibus modo urbibusque, sed etiam privatis domibus, fatali Guelphorum Ghibellinorumque rabie, in bellis odia magis quam causae valebant. Praeterea pontifex contemptus, defensus Bavarus, secessio religionis armis asserta, id effecere, ut famam magnam potius quam bonam posteris relinqueret. Sed juvenilis aetas, victoriae impotentia, acerbitas temporum praecipue in culpa: peccandique licentiam, dolendi in extremo spiritu objecta poenitudo, apud justos rerum aestimatores aut excusavit, aut absolvit. Tali tantoque viro commissa republica, ut omnis guelpharum partium Etruria, novo quodam terrore pertimuit: ita Lucenses quique cum Ghibellinis sentiebant, in magnam spem erecti, jam nihil nisi secunda

praelia, expugnationes urbium, triumphosque animo agitabant. Prima tamen clades domi desaeviit. Quippe Castruccius rerum potitus odio adversarum partium, in Guelphos acerbe adeo potentiam exercuit, ut omnes fere cum familiis ex urbe agroque in alias terras migraverint: quas alii nongentas, alii septingentas fuisse memoriae produnt. quem numerum, ut auctum fortasse ad invidiam temporum suspicer, tamen ingentem fuisse, ipsa mendacii magnitudine satis constat. Venetiis supra triginta e principibus consedere: inter quas Fatinelli, Guidiccionii, Sandaei, Michelii, Parutae, Bartholomaei, Podii: ex quibus aliquae inter patricias adlectae, ad summos honores ipsumque reipublicae principatum pervenere. Tantas vero opes secum tulisse tradunt, qui ejus civitatis rationes inspexere, ut collectis in summam, quae in aedificiis, templis, asceteriis, nosocomiis, nominibus ac pecunia numerata Lucenses Venetiis possedere, decies quinquies ac sexaginta aureorum millia excederent. unde in urbe magna nobilitatis solitudo. nec ulla usquam, nisi Ghibellinorum facies. Quibus principum migrationibus, plebis quoque fuga accessit. ipsa quoque fortunam illorum sequuta, a quibus artium laborisque industria alebatur. Externorum hostium primi Florentini illius arma sensere.

Postquam improspere apud Catimum bellatum; plura Florentinorum oppida ab iis desciverant. inter quae Vincium non longe a Phocensi lacu inter paludes situm, Lippus ex Anchianis proceribus, qui tunc illi imperitabat, victoriam sequutus, ad Ugutionem primo, deinde ad Castruccium transtulerat: eorumque potentia fretus, propinqua loca Emporium atque Ponturmum Florentinorum ditionis, damna cladesque inferendo infesta habebat. Sed in eo rerum motu, qui inter exactum tyrannum novique principis nondum coalitam potestatem intercessit, impetu id oppidum aggressi, statim obtinuere. caeteris partibus captis in arce victoria haesit. ad quem nuncium cum magna celeritate Castruccius advolasset acriter utrinque pugnatum; donec Florentini fusi fugatique futuris cladibus omen fecere. ex hostibus mille pedites, trecenti equites; e Lucensium exercitu non amplius XXX. desiderati. Itaque receptum oppidum, arcique firmum praesidium impositum. Quidam ei praelio Castruccium minime interfuisse adversa valetudine prohibitum, auctores sunt; sed auspiciis Nicolaum Stregum e Corvariae proceribus, ipsius avunculum rem gessisse. Sed ut ipse abfuerit, pro eo ipsius perpetua comes fortuna interfuit: quae non ita multo post, novae victoriae materiam praebuit. Co-

rellia lucensis agri oppidum est, in Apennini, adhuc se se submisso fastigio attollentis dorso, et situ et operibus validum: non longe ab Ania, qui in Apennini jugo prope Tilium ortus, Corelliam Bargamque, pari ferme spatio interfluens, prope Cardusium in Aesarem effunditur. Gens aspera ac bellicosa incolit, discordiisque cum finitimis Bargaeis exercendis assidua. Id ex eorum temporum more, Antelminellae familiae parebat, atque etiam post Castruccium diu paruit: durantque sepulchra gentis, antiqui juris dominatusque argumentum. sed Guelphi feroniensis provinciae Ranerii cujusdam proditione a veteribus dominis averterant, Nerio Frinianae regionis dynasta ejus facti auctore. Castruccius eo cum exercitu profectus, oppidum obsedit. quod cum et loci munitione, et propugnatorum virtute, decimum jam diem obsidionem toleraret, Castruccius misso caduceatore edixit, si oppidum vi captum esset neminem esse victurum. Simul ad augendum terrorem fingit se CCCC. equitum mille peditum subsidium Luca excivisse, ut oppidum corona caperet: eumque rumorem in vulgus edi curat. tum e proximis silvis ingentem materiae vim, ad machinas aliaque belli instrumenta caedi jubet. Oppidani ea denunciatione, apparatuque territi, pacto ut Nerio

comiti cum suis exire incolumem liceret, Guelphisque pacatus ad sua reditus, oppidum dedidere. Massensis quoque reguli fracta superbia; qui cum Spinectae consilio praetorem lucensem recipere noluisset, vi ad obsequium revocatus, imperata fecit. Per idem tempus pax cum Senensibus ac Volaterranis firmata: cui sanciendae pro Lucensium parte Vannes Morellus; Senensium nomine Memmius Vivus interfuit. quodque magis mirum, res cum Florentinis praeter spem compositae. Potentiae adversus Ludovicum imperii aemulum quaerendae, Fridericus austrius affinitatem cum Roberto rege jungere parabat: sorore Carolo regis filio in matrimonium tradita. utque regis gratiam iniret, qui catinensi praecipue clade doctus, quanti sibi tuscarum civitatum bella constarent, eas inter se jungere optabat; Castruccium, cui vices suas antea in Etruria mandaverat, admonuit per literas, voluntatis suae esse, ut pax inter Lucenses Florentinosque coalesceret (1). Itaque insequenti anno, duobus regibus curantibus, pax inter Lucenses Florentinos Pisanosque sancita. leges a trium gentium legatis Neapoli coram Roberto rege firmatae; quibus sanciendis, Lucensium nomine Benedictus Bal-

---

(1) Ann. 1317.

dinottus interfuit. Ea pax quamquam Florentinis indecora; quippe post tot clades inultis, tamen necessaria erat. nam mutato paulo ante civitatis statu, nec dum nova dominatione adulta, si lucensi pisanoque bello premerentur, haud dubie dimicaturi de republica videbantur. itaque utilia magis quam speciosa sequuti, pacem et ipsi sanxere. nulla praesertim regiorum auxiliorum spe: Roberto totis viribus in Fridericum Arragonium regni aemulum verso; ob eamque praecipue causam etruscae pacis auctore. Dum pax cum Florentinis componitur, ex alia parte periculosum civitati bellum imminebat. Imperii recuperandi cupido, cujus amissi nemo satis obliviscitur, Ugutionem sollicitum anxiumque habebat. itaque ambitiosus senex in omnes se artes versare, ut in pristinum fortunae gradum reponeretur. Lanfranchi e principe nobilitate tyranno Pisis favebant. Itaque consilio cum iis clam inito, rebusque opportune dispositis, Canis Scaligeri hospitis sui opibus adjutus, quam maxima celeritate ita occultus in lunensem provinciam pervenit, a Spinecta amico receptus, ut ante eum cum exercitu adesse nunciatum sit, quam id moliri eum quisquam suspicaretur. ad eum nuncium Pisis Lucaeque subito tumultu ad arma itum. conjuratione patefacta

aedes Lanfrancorum furentis populi concursu obsessae; quatuor ex iis caesi, caeteri ejus noxae expertes in exilium pulsi: quorum nonnulli Lucae substitere, multo post in civitatem allecti. Castruccius cum copiis in lunensem agrum transgressus, omnia Spinectae reguli oppida ferro flammisque depopulatus, ipsum profugere coegit; qui Veronam se in Scaligeri hospitium conferens, ibi cum Ugutione suae, alienaeque fortunae decoctore, exul aliquandiu vixit. Ejus expeditionis pretium Fosdinovum nobile oppidum extitit; (quod falso quidam veteres fossas Papirianas putavere) ac caetera loca circa Macram, quae Malespinarum ditionis fuerant. contra vero massensi regulo in eadem provincia civitas data, renovatumque cum eo foedus; spondente pro Lucensibus Cossone Bernardo, reguli vero nomine Populonii antistite.

Multo major populi lucensis imperio accessio facta, lunensis urbis deditione: quam ex veteris Lunae ruinis extructam, Sergianam posteri vocavere. quippe cives, seu metu, cum jam omnia circa obtineret, seu nominis famam sequuti, publico consilio se suaque Castruccio permisere. Iis continendis arcem (1) magni operis in proximo, qui urbi imminet

(1) Sarzanello.

colle extruxit, murisque laterculo coctili, ac turri quadrato saxo munivit; ducta circum fossa, centum pedes in profundum demissa: actoque sub terram cuniculo, per quem ad belli discrimina, occultus in eam ex urbe aditus esset. quae adhuc veteris potentiae indicium manent. Lunensium exemplo, Apuani sub Apennini radicibus ad Macram amnem siti Castruccium dominum accepere, cum plerisque Apennini montis circa accolis. quo in oppido non multo post arcem aedificavit, quae conditoris sui nomen in vetusto lapide adhuc servat. His auctus victoriis, jam privato major, non hostibus modo, sed civibus etiam metuendus, viam sibi ad dominationem sternere, idque moliri, ut jam non praefectus militum, precario populi ducatu, sed regulorum more solus imperaret. cui cupiditati cum Guelphos, beneficio sancitae nuper pacis restitutos, maxime obstituros sciret, alios alia causa amovendos tollendosque curavit. Graves illius iras, Advocatorum gens vetustae nobilitatis, conjurationis obtentu praecipue sensit. eam potentia ac sobole florentem per Ugutionis tyrannidem, temporum procella ex urbe in agrum transtulerat: habitabantque jure antiquo possessum oppidum in Matrariae montibus ad V. ferme lapidem, situ ac muni-

tione validum, ac prope inaccessum. quippe edito montis jugo impositum, qui a caeteris continenti dorso in longum porrectis abruptus, veluti de industria, arduus, praecepsque, a fundo satis lato fastigiatus in metae modum assurgit. Ab oriente Fraga amnis praeterfluit: qui e proximis jugis ortus, violentus ac torreus, maximo fragore, unde illi nomen, saxa ingentis magnitudinis trahens, in subjectos agros se evolvit: strage silvarum camporumque per hybernos imbres praecipue notus. in imo juges aquae manant, quae loco Putei (1) nomen fecere. Durant adhuc disjectae per montis dorsum moles: turrisque quadrato saxo extructae vestigia solo extant. Aedem D. Andreae sacram religio texit, eaque ad haec tempora inviolata spectatur. Hanc arcem Castruccius per praefectos expugnare aggressus, cum vi tandem obtinuisset, ea diruta incensaque, duos ac viginti ex ea familia captos, aversosque jumentis impositos, in urbem duci imperavit, hincque in hunc modum deformatos in carcerem conjecit: quatuor ex eis equestri ordine insignibus laqueo necatis. tum eorum aedes incensae, turresque solo aequatae: quas ad Servorum aedem stetisse constat: vetere templo (2) ex ejus

(1) Col di Pozzo.

(2) S. Michele degli Avvocati.

familiae nomine appellato. Nec minus tollendis hostibus, quam parandis amicis intentus, cum Matthaeo vicecomite, qui Mediolano, magnaeque parti Galliae Cisalpinae imperabat, ghibellinae factionis per eam regionem principe, foedus iniit. quod tamquam retinendae reipublicae arcanum sancte posteri servavere: semper eorum fortunam sequuti, qui Insubriae dominationem tenuerunt. quippe nulla potentior in propinquo gens, aut odiis Florentinorum magis imbuta: quos manente eorum republica perpetuos libertas Lucensium aemulos sensit: ut admirandae felicitatis virtutisque fuerit, tam vicinos assiduosque hostes, saepe vi, saepius arte, ac insidiis connisos, evadi potuisse. Nec Vicecomes socium abnuit, tanta jam belli gloria celebrem: quemque unum Roberti regis, Florentinorumque potentiae opponeret aptissimum. temporis quoque opportunitas valuit: quod Genuensium rebus turbatis Guelphorum potentia, qui regis auxilio freti, Spinulas Auriosque ghibellinarum partium duces, aliosque ejus sectae expulerant; Vicecomes exulum patrocinio suscepto, magnum ejus belli momentum Castruccium reputabat: dominatione jam ultra Macram progressum, ac Genuensium cervicibus lunensi arce imminentem. His rebus Castruccium elatum fortuna in dies novis in-

crementis augebat. plerisque oppidis finitimarum regionum se illi ultro dedentibus: inter quae Serra, pistoriensis agri claustrum, sponte illius imperium accepit (1). quam situs opportunitate, florentino bello quod animo volutabat, armorum sedem futuram, novis operibus munivit: muris turribusque, in arcis modum extructis. Eodem consilio moenia civitatis fossa circumdedit: praesensque cunctas lucensis agri munitiones invisit: alias restituit, alias a fundamentis aedificavit: quarum claves tesserasque rediens in urbem apud se retinuit: decemviris repetere minime ausis, ne suspicionibus in apertam tyrannidem impellerent: jam eo populari favore ac nominis fama provectum, ut appellari tuto non posset. Itidem ipsius studio Nuptianum restitutum, quod Pisani Ugutionis tempore everterant: arce cum lapideis turribus aedificata, quae adhuc manent. Ghivizzanum moenibus clausit; arce ac magnificis aedibus in oppido extructis. Praeterea turrim ad Pedonam oppidum a solo excitavit: arcemque ad Bargilium, unde per totam fere Etruriam longe lateque prospectus est, novis molibus firmavit: ut ex ea fumo interdiu, noctu igne ad arma concurrendi signum montanis ederetur. Monte-

(1) Ann. 1318.

sulum (1) praeteritis bellis pene deletum reposuit: novamque arcem in Collibus ad D. Martini fanum, per quos regio ad Naevulam flumen intratur, Ghibellinorum hortatu construxit, Ghibellinamque appellavit. Inde ad vias muniendas conversus, iter ad mare per paludes Montravantumque aperuit: aliud a Montesulo, Mutronem usque per maritimam oram molitus. Viam quoque, ante angustis tramitibus flexuosam, ea qua spectatur amplitudine ab urbe ad pontem vicumque D. Petri direxit. Veterumque Romanorum exemplo, alteram per phocensem silvam subjectosque campos palustri limo instabiles, saxo silice constravit, glarea prius, coementoque ad operis soliditatem substratam: cujus vestigia multis locis adhuc extant. Plures quoque pontes regia magnificentia construxit. unum ad amnem Pissiam, qua regio ad Naevulam fluvium aditur, cujus ruinae impetu aquarum disjecti, apparent. tres Limae flumini imposuit; alterum ad Furnulum oppidum prope confluentes Limae atque Aesaris: alterum ad Palmariam (2) pagum: tertiumqûe, quem muro portisque septum, claustrum appellavit: unde in praefecturam lima-

(1) Monteggiori.

(2) Ponte a Serraglio.

nam pistoriensesque montanos iter est. Aesari vero plures inaedificavit: in quibus illum admirandi operis a Mathildi olim extructum, sed vetustate pene solutum e secto lapide ad Magdalenae fanum; uno fornice, plerisque amnibus jam receptis auctum flumen complexum: inter omnis aevi moles, quas aut regum opes, aut potentia caesarum extruxit merito adnumerandum. quae opera quamquam alia aliis temporibus, pleraque tamen ante florentinum bellum perfecta constat. Dum Castruccius etrusci belli cogitationibus intentus ea molitur, Ghibellini exules, collectis undique viribus, ex foederatis Galliae Cisalpinae regulis urbibusque magno apparatu Genuam oppugnare adorti, in spem potiundi venerant; iis nondum rupta cum Florentinis, ac Roberto rege nuper inita pace, cum aperte favere Lucenses Pisanique prohiberentur; clam tamen auxiliis juvabant: submiseratque Castruccius e suis copiis Germanorum cohortes: paulo post, et ipse praesens bello interfuturus, ubi se occasio praebuisset. Imploraverant Guelphi Genuenses, inimicorum opibus territi, Roberti regis fidem; qui gnarus quanti referret tam validam urbem, totiusque Italiae adversus transalpinas nationes veluti claustrum, suis partibus fidam habere; eam expeditionem praefectis minime

credendam ratus, ipse Neapoli cum magna classe profectus, Genuam appulerat. cujus adventu, ut aliquanto suppressa belli flamma, ita non plane extincta, et post ipsius discessum majore incendio arsura. Praesentia regis, guelpharum gentium animi creverant; opprimendoque penitus ghibellino nomini, Florentini omni studio incumbebant. Nam et veteribus duplicatis, nova vectigalia imposuerant, eo consilio, ut annuus populi census D. millium aureorum summam expleret, sumptibus in bellum sustinendis: factumque senatusconsultum erat, de evocando Philippo Valesio Francorum regis fratris filio, ut cum imperio reipublicae armis praeesset. qui paulo inde Roberti regis Joannisque XXII. (ita novus Pontifex post diuturnum interregnum, tandem superiore anno renunciatus appellabatur) studio, cum exercitu in Italiam, descendit. Sed ii conatus, dum ghibellinarum partium interitum moliuntur, potentiores effecere. Siquidem initum foedus inter omnes ejus factionis populos; cui praeter Vicecomites, Scaligeros, Montis Ferrati regulum, Castruccius earum partium columen, Fridericus Siciliae rex, Roberti aemulus; et ab usque orientis partibus, ultimaque Graecia Andronicus imperator adscripti. Sed interim dum tantarum rerum maturum tempus expe-

ctatur, Castruccium proferendi imperii avidum, novis subinde incrementis fors augebat. Nam insequenti anno (1) plura pistoriensis agri oppida, nec minus multa in lunensi provincia, illius imperium sponte accepere: cunctis circa gentibus, tamquam ad fatalem sibi dominum festinantibus. Nec sponte oblatis contentus, alia bello armisque quaesiturus, in provinciam feroniensem profectus, Verruculam munitissimam arcem obsedit obtinuitque: aliis circa oppidis partim vi, partim voluntate se se dedentibus: Minucciano etiam cum universis ejus praefecturae arcibus oppidisque recepto. Mox cum Pontanum, quod ab Attone Malespina tenebatur, venisset, professus ni intra octo dies dederetur, vi expugnaturum; oppidani non expectato reguli jussu, statim imperata facere. His peractis, hyeme jam appetente, in urbem se recepit, ut novae magistratuum designationi interesset: sollicitus, ut in eorum numerum studiosi nominis sui conjicerentur, quo facilius perficeret, quae jam animo concepta, in proximum annum destinaverat. Hyeme quiete domi exacta, initio veris ad Philippi Valesii famam erectis Guelphorum animis, undique ad eum excipiendum, jungendasque cum eo

(1) Ann. 1319.

vires concurrebatur. Florentinorum praecipue studium eminebat; quorum instinctu regius juvenis in Italiam expeditionem susceperat: qui mille equitum manu obviam missa Rhegium Lepidi, ejus adventum sollicite opperiebantur. Quare Castruccius, haud ultra differendum ratus, opinione pacis ab ea parte securis bellum intulit. quo facto pontificis regisque conturbatae rationes, accisaeque Guelphorum spes: qui jam solos in Italia rerum se potituros crediderant. Praeter insitum gentis, per Etruriam partium adversarum principis, odium; stimuli quoque a Vicecomite Ghibellinisque foederatis, accedebant: nam Valesius a pontifice Robertoque rege in eum potissimum mittebatur, ut ab oppugnanda Genua divelleret: apparebatque Florentinos, ubi bellum domi ardere vidissent, ab aliorum oppugnatione destituros. His causis incensus, praetextu recuperandi quae non ita pridem Florentini in lucensi agro occupassent, in loca Arno proxima transgressus, una cum copiis Gaddi comitis, qui Pisis imperitabat, Cappianum pontemque Guissianae flumini impositum primo impetu cepit. inde (1) Falconio occupato, superataque Guissiana, cuncta circa Phocen-

(1) Monfalcone.

sium oppidum depopulatus; paria in Cerretum Emporiumque, nullo obsistente ausus est. mox signis retro conversis ad Mariae fanum, monti, qui Sextinum Phocensemque lacus interjacet impositum, castra posuit. Occultis quorumdam oppidanorum literis evocatus, qui ubi se in conspectum dedisset, tradituros oppidum promiserant. ut Castruccium cum exercitu adesse per oppidum vulgatum, incolae totius rei ignari, cum Florentinorum praesidio statim ad arma discurrunt, spissa corona muros complent, tormenta in turribus disponunt vim propulsaturi. Sed a consciis repente patefacta porta, Castruccius intra oppidum receptus, spem omnem propugnatoribus ademit. itaque capto oppido, cum passim fuga ac trepidatio inermis vulgi fieret, plures, inter quos Lucensium exules, in arcem confugere. Verum ubi se arcte obsideri vident, nec ullam subsidii spem esse, victori se dedidere: pacto ut cum rebus suis salvis abire liceret. caeteris dimissis Lucenses retenti, ac in custodiam dati: quorum praecipui Landuccius Salamoncellus, Bonifacius Porcariensis, et Spina Obicius fuere. Arci praesidium impositum, imperatique obsides e primoribus, cumque iis abducti quibus in obtinendo oppido usus erat: quam grata opera, tam suspecta proditorum fide.

Dum haec ad Arnum geruntur, perpetua ducis felicitate cives elati, in eam spem venerant lucense nomen non per Etruriam modo, sed Italia tota, et apud exteras gentes clarum futurum, si homini ad amplitudinem patriae genito universam rempublicam permisissent. Itaque decemviri senatu in curiam vocato, magnificeque expositis, quae per quatuor annos, quibus ducatum populi gesserat, reipublicae augendae praeclare Castruccius fecisset, quas urbes, quot, quaeque oppida arcesque, vi aut deditione cepisset; quanto consilio per agrum universum, vias, pontes, castella munisset; semper tantae virtuti, ne dum comite, sed obsequente fortuna, eo tandem devenere ut in praeteritorum pretium, futurique temporis spem, dictatorem perpetuum creandum dicerent, tanta, quanta penes universum lucensem populum est, potestate attributa. cumque in eamdem sententiam gravis auctor Joannes Guinisius, plura subjecisset, adstipulantibus Datone Moriconio, Mingo Spada, Nicolao Porco Podio, Lando Schiatta, Ciucco Rapondo, Puccino Galganetto, Jacobo Sbarra, Moncello Morde-Castello, ad suffragia ventum est. Mirum dictu! Tanto consensu ad servitutem itum, ut cum CCX. senatores essent, caeteris uti rogas suffragium ferentibus, unus tantum legem

antiquaverit. Inde advocata populi concione, eodem favore legem populus scivit. Missi statim in castra, qui eum beneficii senatus populique, fortunaeque suae admonerent, ad Mariae fanum tendentem convenere: expositisque senatus populique mandatis, lucensis reipublicae dominum, magna totius exercitus alacritate salutavere. Castruccius, quod tantopere concupierat, assequutum, laetus; « se vero eum honorem » accipere respondit, itaque gesturum ut ne» minem ejus collati sibi poeniteret. irent, » suoque nomine senatui populoque nuncia» rent, se statim integra victoria potitum » affuturum, coramque gratias acturum. inte» rim faustum omen secum in patria ferrent, » quod vincendo occupatum reperissent. si » virtutem sors juverit, brevi effecturum, ut » Lucenses, aut soli in Etruria aut principes » essent. » Revertenti in urbem, summis honoribus, maximaque populi gratulatione excepto, nuncius a Friderico caesare praesto fuit, literasque ejus reddidit, quibus illi praefecturam lucensis urbis agrique imperatorio nomine deferebat: caesaribus, quod jamdiu alienaverant, jus tamen in speciem usurpantibus. Per idem tempus Ghibellinis circa Genuam haerentibus, una expugnandae urbis ratio videbatur, si Castruccius guelpharum partium palam odium

professus, acciretur. eam esse viri virtutem, eam militaris rei scientiam, cum perpetua felicitate conjunctam, ut unus inclinare fortunam posset. Itaque exercitus duces communi suffragio, ligusticae ad orientem orae praefectum creant. qui statim cum copiis eo contendens, primo adventu plura ejus regionis castella expugnavit: Cornilia etiam, Levanto, aliisque oppidis quamquam per rupium praerupta ingenio loci tutis, in potestatem redactis. quaedam vero, non expectato ipsius adventu, solo nominis terrore deditionem fecere. tantusque Guelphis Genuam obtinentibus metus, fama tanti viri injectus; ut si totis viribus ad moenia accessisset, de retinenda urbe desperarent. Quare, omni alia cura omissa, novis munitionibus ab oriente firmare civitatem aggressi, Carinianum, vicumque D. Stephani, terreno aggere valloque clausere. quo in opere dies noctesque tanto studio certatum, ut non sexus, non aetas, non dignitas, ne quidem sacri ordinis reverentia quemquam laboris immunem sineret. Sed eo timore Castruccii discessus brevi illos solvit. plusque spei in illius absentia, quam in aggeribus murisque repositum. Nam Florentini, ubi illum cum exercitu in Ligures profectum constitit, statim lucensem agrum ad Naevulam amnem ingressi, cuncta depopulando

incendendoque pervagati, Topalsium usque processere. Quod ubi Castruccio in Liguribus nunciatum, omissa Genuae cura, maxima celeritate domum rediit, veritus ne quid eo absente Lucae turbaretur. Florentini de Castruccii reditu certiores facti, in Phocenses concessere, castris ultra Guissianam fluvium in tuto positis. quo Castruccius quoque cum exercitu progressus citra flumen ex adverso hostium castra communiit. Ibi per plures menses, parvis concertationibus tempus terendo, utrinque commoratum, aggeribus extruendis, machinisque apparandis, quibus invicem infestos haberent; nullo horum, illorumve profectu, viribus ferme aequatis: cum hinc et illinc supra mille ducentos equites, ac ingens peditum numerus staret, uno tantum flumine pugnae discrimen prohibente. donec per hiemem crebrasque imbrium tempestates, in palustri limosoque solo male fida statione, utrique viribus, odiisque integris, in hiberna concessere. magna Florentinorum jactatione, quibus pro victoria fuerat Castruccium sine victoria revertisse. Neque exinde Castruccius in Ligures reversus est: quae solvendae obsidionis praecipue causa extitit, constito si illuc iterum affuisset, civitatem diutius defendi non potuisse. cum terra totius Galliae Cisalpinae vires,

mari regia Friderici Siciliae regis classis urgeret; tantum in unius ducis virtute, famaque opis fuisse creditum. Hoc anno Ugutio qui Lucae Pisarumque imperium tenuerat, Veronae senio extinctus est, cum quadriennio fortunae suae superfuisset. Pisis quoque Gaddus comes ex Ugolini posteris, fato concessit, non sine veneni suspicione: quod a patruo Nerio propinatum dominandi cupiditate fama tulit. Ejus morte Nerius pisanae rei potitus est: qui adversus Florentinos caeterosque guelpharum partium populos, foedus cum Castruccio iniit. Interea ex utraque parte Lucenses, Florentinique bellum comparabant(1). cumque hi tanto hosti se impares cernerent, rati faciliorem sibi viam fore ad vincendum, si eum in diversa distraherent, Spinectam exulem ad ineundum secum foedus invitavere. Is quamquam ghibellinae factionis, tamen ob injuriam ademptae dominationis, privatim Castruccium oderat. quare ostentata spe recuperandi pristinae fortunae gradum, occasionem avide arripuit. Itaque Florentini D. pedites, trecentos equites illi submisere; qui cum copiis, quas ipse collegerat, lunensem provinciam ingressus, pleraque ditionis suae oppida recepit. interim

(1) Ann 1321.

ipsi ex altera parte lucensem agrum adorti, Victorinum ad Naevulam amnem cum DCCC. equitibus, magno praeterea peditum numero obsedere. Castruccius ancipiti malo circumventus, ne vires carperet, Spinectam differendum ratus, majori hosti incubuit. Itaque tum ex suis, tum ex foederatorum gentium auxiliis, quae ex Gallia Cisalpina Pisis Arretioque acciverat, collecto exercitu, cum MDCC. equitum, ingenti peditum numero in hostes processit. Florentini et numero, et provisis male rebus haud quaquam pares, et si praelium tentatum foret, victoriam haud dubie hostis futuram conspicati, ad artes versi, copias in proximum collem subduxere: levibus certaminibus interim hostes usque ad vesperam detinentes, quasi proximo die, ubi subsidium advenisset, de summa periculum facturi. Primis tenebris, in speciem castrorum multis ignibus relictis, Guido Petrella Florentinorum dux, metu suorum cognito, silenter in Phocenses concessit. adjuvitque fugam procella, quae magnis imbribus per noctem effusis, usum aurium ademit. Castruccius orta luce, ubi se ignium specie, et imbre deceptum, nec hostem usquam apparere cernit, vestigia fugientium sequutus, late phocensem agrum, caeteraque ad profluentem Arnum Florentinorum

oppida depopulatus, totos viginti dies, obsistente nullo, in hostico mansit: magno Florentinorum pudore, in quorum oculis inulte agri, villaeque ardebant. Victor cum captivis, praedaque Lucam reversus, magno cum honore plausuque exceptus est. Inde cum Florentini e lunensi provincia equites revocassent, Spinectam externa ope nudatum aggressus, iterum dominatu exuit, Veronamque profugere coegit: victricibus armis Apuam usque, ultra Macram circumlatis. eadem felicitate Castellionem Antelminellae familiae oppidum, in provincia feroniensi recepit: pulso Othone Malespina, qui cum Guelphis illud occupaverat. Dum in ea expeditione abest, res in urbe motae. Praefecerat Castruccius, bonis eorum, qui hostes judicati essent, in fiscum redigendis Lazarum Cechianum exterum hominem. Hunc nimia acerbitate munus obeuntem, sive alia causa extitit, Stephanus Podius, jurgio orto interfecit: parumque abfuit, quin ob Podiae familiae potentiam, ad arma iretur. Sed dum impune sibi futurum sperant in Castruccium meritis, quod illi praecipui ad dominationem adjutores extitissent, quiescere melius visum. ea res audita Castruccii animum valde sollicitum habuit: citatisque itineribus in urbem reversus, dissimulata ira, principes Podiae fami-

liae ad se se vocat. interque eos Bernarducium et Nicolaum Porcum fortunae suae auctorem: qui per Ugutionis tumultum e carcere educto ferreas manicas detraxerat. quos et memoria beneficiorum et potentia sua fretos ad se venientes, dum comiter exceptos familiari colloquio detinet, vinciri repente, et in custodiam dari jubet: quaestionibus habitis, Stephanum ac Bernarducium caedis seditionisque reos, crimine majestatis damnatos, securi percussit, caeteros in insulam Britanniam relegavit: acriore injuriae, quam benefacti apud dominantes memoria. Pacatis domi rebus, rursus in externos arma convertit. Florentinos subigere volenti per Pistorienses, tamquam per limen eundum erat. itaque Serra quam munitionibus ante eo consilio firmaverat, ad tertium a Pistorio lapidem saepe excursiones in subjectos agros faciendo, totam regionem infestam habebat. unde nec seri colive ager poterat: cultique, magno agricolarum dolore, equorum pabulum erant. Agrestes cum frustra vim tentassent, pecunia eam injuriam dominis haud invitis, redimebant. Nec spes ulla opis e publico. Nam cum Pinus Tosa, qui Florentinorum Robertique regis nomine Pistorio praeerat, obviam cum armatis aliquando Castruccio processisset, tanto impetu repulsus obturba-

tusque est, ut effusa fuga in urbem se reciperet: satis gnarus, si praelium commissum esset, superante hostium multitudine, neminem evasurum. Cives eo malo territi, advocato consilio cum pacem aut inducias cum Lucensibus suaderent, qui a Florentinis stabant, omni ope contra nitebantur: scissisque studiis, animorum contentione prope ad tumultum ac seditionem ventum. Inter eos qui inducias volebant, Hermannus Tedices (1) Paciani antistes erat: jam pridem patriae dominatum haud dubie spirans, ad quem Castruccio adjutore facilius se perventurum existimabat. Nec a pacis consiliis ipse Florentinorum praefectus aberat: alterius partis pertinaciam sine viribus inanem ratus; nec alium finem quam patriae interitum servitutemque habituram: cum, quem amicum aspernarentur, accipere dominum cogi possent. Itaque multum reclamantibus Guelphis, oratores Serram ad Castruccium missi, cum quibus ipse Pinus profectus est. Ea legatio Florentinos maxime pupugit: quare Pistorium misere, qui inducias disturbarent; ostenderentque eam pacis mentionem insidiose injectam: Castrucciumque eum esse, ut nihil medium ab eo impetrari posset; sed vel hostem vel dominum habendum. Re itaque magnis conten-

(1) Abbate di Pacciana.

tionibus jactata, pulsis qui contra sentiebant, inter quos civitatis antistes, tandem induciae cum Castruccio, Tedice adnitente, firmatae: imperatumque trium millium aureorum tributum, quod illi in singulos annos penderent. perque hunc modum Pistorienses stipendiarii lucensis populi facti. Has inducias bellum sibi futuras Florentini sensere. Itaque comparandis undique viribus intenti, duum millium et quingentorum equitum manum, XV. peditum millia brevi in armis habuere. Eos apparatus, quamquam tanta dissimulatione arcanum ita occultatum esset, ut vix pauci Florentiae, quod rarum, e principibus nossent, Castruccius adversum se fieri haud falso interpretatus, intenta cura, ne quid hostis moliri posset, omnia obibat. Eadem suspicio Pisanos, Arretinosque incesserat. Quare cum Florentini clausa omnia custodiis ac inaccessa cernerent, vanum terrorem injecisse hostibus contenti, externis auxiliis domum remissis, exercitum solvere. nec eo anno nisi in sociorum subsidium ultra arma suscepta. Praeerat Urbinatibus Guido Feltrius. Is Auximo Aeliaque Ricina (1) pontificum imperio occupatis, cum bello premeretur, ab Arretinis, quibus Guido Tarlatus praesul

(1) Recanati.

ghibellinae factionis, a sacris ad arma transgressus imperitabat, reguloque Lucensium Castruccio, auxilia acciverat. Sed domesticis odiis septum nihil externa arma juvere. nam dum tributum civibus imperatum acerbe exigendo multitudinis animos irritat, orta seditione, cum uno e liberis interfectus est: tractumque per urbem cadaver, mox satiata plebis ira, profano demum loco, sine ullo funeris honore abjectum. Felicior aliquanto Nerius Pisarum dominus; cui cum idem fatum a Coscetto Collensi immineret, unius consciorum indicio depulsum. itaque proditionis auctor comprehensus trucidatusque, ac in profluentem Arnum projectus. Amicorum casus, alterius interfecti, alterius vix elapsi, Castruccium periculi sui admonuere. Itaque alieno exemplo doctus, quid a furente populo timere aliquando posset, arcem, qua dominationi salutique consuleret aedificare Lucae statuit: utque erat in omni re magnificus, veterisque potentiae aemulator, opus molitus est iis qui videre mirandum. Ab ea regione quae meridiem occidentemque spectat, quintam fere urbis partem complexus, omne illud spatium occupavit, quod a Giliorum aedibus usque ad moenia civitatis in occidentem protenditur: qua orientem accipit solem ducto muro, quo pariter urbis munitionibus

moles jungebatur. unde ab exteriori parte, eodem quo civitas, interius novi operis muro claudebatur: unde triginta ingentis molis turribus, in speciem urbis, eam ambientibus. Quatuor portis in eam aditus patebat: quarum duae in agrum, reliquae in civitate obversae: ut si externa vis ingrueret, ex urbe; si vero domesticum malum urgeret, foris auxilia peterentur. Eam arcem ab operis magnificentia Augustam appellavit: extructisque amplis aedibus, eam deinceps cum valido militum praesidio sedem legit. omnis generis artificibus, praesertim earum rerum quae ad bellum pertinent, in eam introductis. Opus summa celeritate perfectum. cui festinando, magnum turrium numerum, (trecentas quidam scripsere) quibus civitas ita abundabat, ut procul visentibus nemoris turriti speciem referret, evertit: quadratis lapidibus, quibus eae constabant, in novi operis aedificationem traductis. cujus admirandae molis unicum pene vestigium extat: rotunda scilicet D. Mariae aedes: quae caetera altitudine disjecta, una ex Augustae turribus fuisse dicitur. Nec inter belli curas honestae voluptatis oblitus; si quando ab armis vacaret laxando animo, villam quoque ad Massam Pisanam extruxit, quae villa ducis appellata est, muroque in castrorum morem cinxit:

ut nunc quoque appareat militaris viri opus, inter ipsas remissiones bellum et arma meditantis. Dum Castruccius inter pacis bellique opera versatur, fortuna in alia parte terrarum ei amplificando novas causas struebat. Romanum imperium, ut supra memoravimus, hinc Fridericus austrius, hinc Ludovicus bavarus armis vindicabant. Joannes pontifex neutri favebat: credebaturque id moliri, ut per utriusque discordias imperium in franciscam domum inferret: ut translato jam in Galliam Gallosque pontificatu, utrumque decus gentis unius esset. pronior tamen in Fridericum apparebat, Roberto regi amicum, et novo exemplo Guelphis faventem. Pluries inter eos principes, varia fortuna signis collatis, hoc demum anno belli mars litem diremit. Nam commisso praelio, Fridericus victus captusque in Ludovici potestatem venit: ex quo tempore Bavari res, conciliatis sibi ghibellinarum partium per Italiam regulis populisque, in dies convaluere, Friderico non jam de imperio, sed de libertate sollicito: quam triennio post adeptus, tamen aegritudine animi ac inclementi captivitate paulatim tabescens extinctus est. Inter caeteros principes, Ludovicus victoriae suae Castruccium per legatum admonuit: haud nescius, quantum sibi praesidium in uno homine para-

ret. Nec eum spes fefellit. quippe Castruccius maximus Ludovico ad imperium adjutor; ipse vicissim ab eo dignitate, dominatuque insigniter auctus: sed haec aliquanto post contigere.

Interim novus inierat annus (1) tanta hiberni coeli sevitia, crebroque nivium casu, ut frigoris vi necatis seminibus, magna frugum inopia Italiam ferme totam ad famem redegerit. Ea clade in Etruria, Pisis praecipue Lucaeque laboratum; adeo ut agrestes passim deficientibus alimentis in florentinum agrum migrarent: quamquam nec ipsum eo malo intactum: cum Florentiae duo modii ac semissis frumenti aureo vaenirent. Neque ideo ea inclementia Castruccium domi continuit: sed martio mense, quamquam praealta adhuc nive, cunctisque circa gelu rigentibus, Pistoriensium montanis arma intulit, quod auxilia hostibus suis praebere cognovisset. Itaque circa Luchium Licianumque castris positis, cum locorum iniquitate, annique tempestatibus pugnandum erat. Luchium praecipue in praealti montis dorso suspensum, negocium facturum videbatur. Una spes erat, quod a Pistoriensibus incolae destituti, ne pactas cum Castruccio inducias violarent, suis viribus tantum usuri essent. Sed

(1) Ann. 1323.

Florentini cognito eorum periculo auxilia submiserant, ut dum inter Alpes rupesque Castruccius haeret, ipsis interim gerendae rei occasio esset. Verum qui missi erant Castruccii vim minime sustinentes, in oppida confugiunt: quae arcta obsidione undique clausa, tandem deditione facta jugum accepere. Inde victor in feroniensem provinciam transgressus, oppida quae Florentinorum arte rebellaverant, ad obsequium revocavit. Dum in ea expeditione Florentini illum detinent, per proditionem occupandi Cappianum ad Guissianam fluvium spem ceperant. eoque consilio cum copiis equitum peditumque Emporium usque progressi, patefacta conjuratione, infectis rebus via qua venerant irrisi revertere. Verum pudore irriti incepti, simul in Castruccium odio, quem maximum omnis aetatis reipublicae suae hostem nossent, collectis undique sociorum auxiliis, foedus cum Genuensibus iniere. Irati Castruccio ob navatam proximo bello contra ipsos operam, Genuenses erant: itaque res in hunc modum constitutae, ut illi a sua parte lucensem agrum terra marique adorirentur; terrestribus copiis per lunensem tractum immissis; classe vero ad Mutronem ac Viaregium appulsa; Florentinis eodem tempore Naevula amne superato, oppida ejus regionis, Bujanum

praecipue incolarum proditione occupaturis. Sed perpetua lucensis reguli felicitas id quoque consilium discussit. nam detecta Bujanensium conspiratione, captisque proditoribus, XII. qui tradendi Florentinis oppidi praecipui auctores fuerant, supplicio affecti: nec Genuenses patefactis consiliis ultra tetendere. Castruccius non minus, ubi opus esset, manu, quam astu et consilio strenuus, callida Florentinorum consilia in ipsos convertit. Ut illi externis militibus ac praesertim Germanorum auxiliis valido pares essent, et ipsi paulo ante e Germania militem conduxerant, una cum Forojuliensium equitum turma: ita ut ex cataphractis ballistariisque CCCXX. numerum explerent. Eos Jacobus Fontanius forojuliensis ducebat: praeteritis praeliis, fide ac virtute erga eos pro quibus militaverat egregius. Hunc Florentinis offensum, ob accitum Beltramum Roberti regis affinem; ac non honoris modo gradu, sed etiam stipendiis diminutum, Castruccius spe ac promissis aggressus, facile irato homini persuasit. itaque quasi in lucensem agrum excursionem facturus, cum CC. equitibus Lucam ad Castruccium profectus, ab eo cum honore exceptus est. Ea transitio Florentinorum animos maxime movit: quod in eo duce turmaque omnem fere bene gerendae rei

spem posuissent. contra vero Castruccius novo subsidio auctus cum manu DCCC. equitum, ac octo millium peditum, Guissianam ponte ad Cappianum transgressus, omnia Phocensium loca ferro flammisque vastavit. mox totam Arni ripam populabundus excurrens, fanum Crucis, Francumque simili clade affecit. inde trajecto flumine Toporium depopulatus, ad Elsam fluvium signa convertit: eademque vastitate Miniatensium agris illata, Lucam rediit. Florentini hostis prudentia suis artibus capti, accitis sociorum auxiliis nulla tentata re, fines suos tueri satis habuere. At vero Castruccius prospero ad Arnum Elsamque successu audacior, paucis diebus ad quietem militi datis, Kal. jul. castra in Pratenses movit: quod de tributo, Pistoriensium exemplo appellati, pendere recusassent. Erant in exercitu non amplius IV. peditum millibus, ac DC. equitibus: cum quibus mille ferme ab oppido passibus castra metatus, ad terrorem oppidanorum late ferrum flammamque circumtulit. Ad eum nuncium, tanti hostis propinquitate Florentiae trepidatum; cumque tam parvo copiarum numero tantam rem ausum nemo crederet, clausis tabernis, ut in tumultu solet, sumptis armis undique in hostem procursum. Guelphis etiam exulibus proposita venia, si militiae nomen dedissent: quod pene

deinde in exitium vertit. itaque brevi tempore MD. equites, XX. millia peditum, quorum supra IV. millia exulibus constabant, sub signis stetere. Castruccius temeritate in sapientiam versa, cum tanto apparatu se inferiorem cerneret, triduo circa Pratum moratus, abducta praeda, captivisque, Umbronem transgressus, simul Pistoriensium proditionem metuens, ne reditu intercluderetur, citato cursu Serram se recepit. Constat, si quantum Florentini viribus superabant, consilio etiam valuissent, occupatis a tergo inter castra Serramque itineribus potuisse hostem medium intercipi. Sed perpetua Castruccii felicitas, immissa in exercitum Florentinorum discordia, nullo parendi ac imperandi discrimine, bonam illis mentem abstulit, ne eo die debellaretur. Discessu Castruccii major in castris tumultus ortus: dum quidam instandum fugienti, alii submoto hoste satis actum contendunt. nobilitas maxime obstabat, quae imperio plebis infensa, alienae reipublicae vincere nolebant. « Animosa consilia semper infe-
» lices exitus habuisse. Sic ad Arbiam dum
» fortia magis quam cauta placent, florenti-
» nam rem pene deletam; sic nuper ad Ca-
» tinum, florem militiae, duos regios duces,
» rempublicam prope amissam. Castruccium ha-
» ctenus a Florentinorum conflictu superiorem

» discessisse. satis esse quaesitos provocatosque
» superari, extremae dementiae victoriam illi
» ultro usque in domum inferre. neminem hac
» aetate illo callidius, neminem fortius arma
» tractare. illum italae militiae splendorem
» spatio X. fere saeculorum sepultum, primum
» revocasse: impetumque ac ferociam artem
» fecisse. omnes aditus praesidiis firmatos,
» omnia clausa ac impervia. ferro viam fa-
» ciendam, nec exiguo militum ejus numero
» magnopere confiderent. victoria non numero,
» sed virtute constare: illum ducem, militem,
» pede, equo, eminus cominusque pugnare.
» ab illo caeteros virtutem animosque haurire.
» unius exemplo cunctos armari. hostem ve-
» teranos et militaris disciplinae gnaros sub
» signis habere: quorum quemque non minus
» ducem esse quam militem. Sed ut caetera
» paria sint, cui fortuna hominis terrori
» non esset? nihil eum cogitare, nil moliri,
» nil aggredi, nisi illam prius in consilio
» habuerit. quibus initiis in tantam amplitu-
» dinem pervenerit reputanti, necesse esse,
» illum non alumnum modo sed fortunae do-
» minum fateri. puerum adhuc ghibellinarum
» partium favore patria extorrem Anconae
» inopem vitam egisse. inde in Galliam pro-
» fectum destinata ferro ac victoriis manu ca-

» lamos tractasse. mox in Britannia Eduardo
» regi carum, ob interfectum in ejus oculis
» unum e principibus jam jam moriturum,
» amicorum beneficio, scaphae impositum, ac
» in Belgium transmissum evasisse. inde bellum
» sequutum in Philippi Francorum regis ca-
» stris militiae tyrocinium posuisse: virtutisque
» merito regi notum ab eo praemia retulisse.
» qualis vero fortunae fuisse, inter compedes
» manicasque carnificem opperientem, elata jam
» pene in ejus cervicem securi, ad principatum
» evectum esse? intra sex annos jam lunensem
» provinciam tenere, ultra Macram in Ligures
» victricibus armis transgressus Pistorienses sti-
» pendium pendere coactos, totius montanae re-
» gionis potitum: praeliorum numero triumphos
» aequatos.» Cum haec apud surdos obstinatosque frustra agerentur, res prope in seditionem versa: nec in duce roboris, aut auctoritatis tantum ut eos pacare posset. Itaque placuit rem integram ad urbanos magistratus rejici. Ubi patribus de eo negocio relatum, non minor in curia, quam in castris discordia: dum alii insequendum hostem, alii bello abstinendum suadent. Nobilitas, cui major reipublicae cura, eadem inculcare. populares, quibus omnis in verbis ferocia, impetuque magis quam ratione ferri assueti, idem quod militare vul-

gus sentiebant. Ubi ea res per urbem vulgata, plebs certatim in forum palatiumque concurrere: seditiosis clamoribus, insequendum hostem, inferenda arma vociferari. qui secus velint, patriae hostes, reipublicae proditores esse. Utque in pessima republica, vilissimus quisque, ac incertissimus plurimum potest, pueri quoque, sive eos sua vecordia sive alienus furor armaverat, magno numero ad curiae fores, bellum ac arma clamitare: lapides quibus sinus oneraverant, in palatii fenestras jacere, contempta imperii majestate. Quibus tandem victa senatus, victa magistratuum auctoritate, exercitum in lucensem agrum ducendum decretum. Senatus consulto in castra delato, statim signa in Phocenses mota, populo gaudente; tamquam idem esset vocibus in concione, ac manu in acie vincere: experto in praeliis clamosissimum quemque etiam fugacissimum esse. Ubi ad Guissianam perventum, non minor quam in castris atque urbe dissentio exorta. « prudentissimus quisque pe-
» dem ultra efferendum negare. Castruccium
» in alieno vincere assuetum, quid nunc fa-
» cturum in suo? Omnia ejus stationibus, ac
» praesidiis teneri. ipsa loca in quibus ten-
» derent, ut nihil aliud ex praeteritis futura-
» rum cladium admonere. an non eos agros

» esse, quos ille nuper impune ferro flammisque vastasset? ubi Florentinorum copias, pecorum ritu trepidas ante se egisset? num parem ducem ipsos habere quem illi opponerent: scilicet novum hominem, ignotum pariter ignorantemque exercitus sui, non locorum, non gentis callidum, cum fortissimo omnis aetatis imperatore: domi et in suo, cum exercitu secum toties victore bellum excepturo, conferendum? » Sed haec quam vere, tam irrite jactabantur; animis vulgi ad bellum obfirmatis. Addebant animos affluentes in dies sociales turmae. quippe Bononia ducenti equites: totidemque publico nomine Senis advenerant. praeter CCL. equitum manum, quos privatorum studia ex eadem urbe submiserant. Reguli etiam dynastaeque foederati cum copiis, tamquam ad commune totius Etruriae bellum aderant: suspecta jam Castruccii potentia, et ni obviam iretur, in Tusciae servitutem eruptura. Auxit militarem discordiam ducis absentia: (Guido Novellus hic erat magistratuum imperio Florentiam evocatus) jam velut in corpore, dempto capite, membris seorsum tendentibus. et (quod ei expeditioni solvendae novissimum fuit) eorum arte qui bellum aversabantur, fama in vulgus jactata, exules contra fidem datam minime restitui. Quod ubi

in castra perlatum, nil propius factum, quam ut sublatis vexillis, exulum acies infestis armis Florentiam iter intenderet: vi aut sponte urbem intratura. Exulum adventu, turbatae adeo Florentinorum res, ut malo intra viscera haerente, externi belli cogitationem omiserint. Castruccius ea cura solutus, discordias hostium opportunas sibi ratus, CCC. equitibus in Pisanorum auxilium missis, quorum ditionis oppidum Martim Toporienses invaserant; ea quae superiori bello intacta fuerant, circa Toporium, fanum Crucis Francumque, ac caetera ad Arnum loca vastavit; Florentinorum copiis, quae circa Arnum tendebant, magno nominis sui dedecore minime obsistere ausis. Dum Castruccius Pisanis sociali foedere succurrit, jam Etruriam universam animo complexus, eo curas intenderat, quemadmodum e socio dominus fieret. quippe tam clara potentique civitate auctum, praeterea in ipsis prope Arni faucibus sita, Florentinis commeatu fluminis marisque interclusis, graviorem futurum. Huic consilio illud opportune acciderat, quod pisana classe in Sardiniam profecta, civitas milite populoque exhausta, impar ad obsistendum futura erat. Ea res per Lanfrancos tentata, qui Nerio comiti infensi, eum dominatu depellere animo agitabant. ex iis Bettus Maleppa, qua-

tuor Germanorum militum praefectis, qui in consiliis societatem assumptis, Castruccio Pisas tradendas suscepit. Proditionis ordo ita constabat, ut Nerio una cum filio, quod facile erat, per amicitiae simulationem interfectis, statim per urbem Castruccii nomini acclamarentur: praefectique interim cum suis copiis occupata porta, in ejus adventum custodirent. Verum, dum maturandae rei opportunum tempus expectatur, novique conscii quaeruntur, per Bonifacium Cerchium exulem florentinum Lucae commorantem, Nerio proditionis admonito, ea consilia discussa. Bettus Germanique statim comprehensi, ac supplicio affecti: Castruccius vero proscriptus; praemiumque demum millium aureorum ejus interfectori propositum. quod ubi Castruccio cognitum, captum Bonifacium conjurationis indicem suspendit: addito per jocum, se primam pensionem de summa decem millium solvisse. Solitus idem objicere quoties Pisanum aliquem, ullius criminis convictus supplicio affecisset. Haud meliore successu Vicus oppidum tentatus. quippe cum Benedictus Gualandus Pisis exul, habito cum quibusdam oppidanorum consilio, illud sub lucem ex improviso cum CL. equitum manu Castruccii nomine occupasset; Pisanorum, qui in oppido erant, incolarumque ejus consilii expertium occursu,

ante pulsus fugatusque est, amissa suorum parte, quam Castruccius qui ad Topalsium rei exitum opperiebatur, subvenire posset. Eamdem quasi reflantis fortunae poenitentiam, in Phocensium oppido per idem tempus expertus est. Adjecerat ad illud jam pridem animum, loci opportunitate motus: tum quod in agro fertili situm, et omni genere commeatuum abundante: simul Florentinis belli sedem adempturus. quippe inde crebri in loca Naevulae adjecta excursus. Neque ad id tempus ullum fere praelium, nisi in illius vicinia contra ipsum tentatum. Rebus cum quibusdam incolarum compositis, sub ipsam brumam, silentio noctis ad oppidi moenia ex condicto affuit. CL. equitibus, D. peditibus, neque enim major numerus necessarius visus, secum assumptis. edito signo, a deserta oppidi parte, diruta a consciis vetere portula, cum peditatu in oppidum receptus est. deditque conjuratis fallendi audaciam foeda imbrium procella, quae hiberna nocte effuse ruendò, vento praeterea adjuta sensum aurium abstulerat. Immisso ergo in oppidum Castruccio, militibusque acclamantibus, oppidani ad eum tumultum discusso sopore, simul cum praesidio Florentinorum ad arma discurrunt. et quamquam attoniti per tenebras imbresque hostibus intra oppidum haerentibus, terrore in-

super formidati nominis perculsi; tamen, ut in tanta consternatione, animis viribusque obsistebant. Tum sublato igne, cum socios circa periculi admonuissent repente e vicinis oppidis armati in auxilium confluxere. Ibi vero atrox praelium commissum: raroque ferocius pro unius oppidi possessione pugnatum. quippe incolas patriae amor, hostes praedae e manibus emittendae pudor incendebat. aderatque Castruccius, qui in omnes partes discurrens, manu ac voce, nunc universos, nunc singulos adhortando, ducis, militis partes obibat. Nec cuique adire cominus animus: procul jaculis missilibusque incessebant. Jamque affluente hostium multitudine, multis suorum amissis, ipse quoque teli ictu in facie cruentatus, veritus ne si obstinate persisteret aut captus, aut occisus in potestatem hostium veniret; haud pretium opere ratus in parvo oppido animam impendere, promptissimorum quibusque circa se in globum coactis, ferro sibi viam per confertos hostes aperuit: oppidoque emissus ad equites se recepit, maxima laetitia ab iis exceptus: quippe ob atrocitatem pugnae, jam de ejus salute desperantibus. Constat eo quoque die si florentinis ducibus insequendi animus fuisset, finiri id bellum potuisse, in quo tam prope eorum respublica, de libertate ac imperio di-

micavit. Sed Castruccium sua felicitas texit: vincique ab eo assuetis, illum sine victoria dimisisse satis visum. Ea res Florentiam nunciata incredibili laetitia eunctos affecit. utque solet fama omnia in majus attollendo, fusos hostes, formidatumque illum ducem, et alterum, quorumdam opinione, Deum, cruentum seminecemque vix e manibus ipsorum elapsum, per vulgi ora ferebat. traducti per mediam urbem pauci captivi equique nobiles, et aliquot signa militaria, gratissimo spectaculo multitudinis oculos implevere, gaudia moeroresque nunquam modice tolerantis. Eodem anno Castruccius Dialtam filiam Philippo Tedici, Hermanni, qui Pistoriensibus imperitabat, fratris filio despondit. Dos dena millia aureorum promissa. sed altior spes suberat. nam inter generum socerumque pacta Pistorium eas nuptias conciliaverat. traditumque mox a Philippo ejus urbis imperium, nuptiaeque in illud tempus dilatae fidem fecere. Eo qui insequutus est anno (1) neque pax, neque bellum cum Florentinis fuit: metuque magis quam armis cum illis pugnatum. Expulerant Pistorienses Philippi Tedicis opera, qui jam dominationi immine-

(1) Ann. 1324.

bat, Roberti regis praefectum: cumque is reditum in eam urbem tentasset auxilio Novelli Comitis, ad Titianum fusus fugatusque, cum ignominia discesserat. Novellus simul regis, simul dedecus suum ulturus, inconsultis Florentinis quorum armis praeerat, subito impetu Carminianum Pistoriensium oppidum occupaverat. indignum id Hermanno Tedici visum, quare Florentinis scrupulum injecturus, consilia de tradenda Castruccio urbe simulavit. Lucensisque cum D. equitibus Serram profectus, metum auxerat. Quare missi qui comitem increpitum, quod privato consilio armis sumptis rempublicam in id discrimen conjecisset, domum revocarent. Dilata Pistorii obtinendi spe, Castruccius paulo post Florentinis exercendis CL. equitum manum in regionem ad Arnum praedatum misit. Sed cum ex Franco CXX. militum, qui oppido praesidebant, turma obviam exisset; commisso praelio, tribus ferme horis pari virtute ac fortuna pugnatum, donec ex Phocensibus auxilio adventante, Lucenses in fugam versi: quorum decem in potestatem hostium venere, duobus tantum e Florentinorum acie, dum incaute nostris insequendis nimium procedunt, captis: quorum alter nobilis arelatensis Porcellettorum stirpe extitit. Sed parvam belli offensio-

nem ingenti pretio fortuna paulo post rependit. Patruo depulso Philippus Tedices Pistorii dominatum ceperat. unde major Florentinis cura, quod exclusis eorum equitibus, cum Castruccio foedus inissent: duum millium aureorum stipendium pollicitus. Verum Castruccio, ut ad eam diem pensum fuerat tributum flagitante, cum pertinacius negaretur, in pistoriensem agrum cum exercitu profectus est, ut quod jure impetrare nequibat, vi cogeret. sive ea simulatio fuit, ut proditioni metus ac vis obtentui esset. Primum omnium arcem ad Brandellium in Pistoriensium finibus extruxit, quam a prospectus pulchritudine appellavit (1). quippe ex ea tamquam e specula in pistoriensem florentinumque agrum longe lateque despectus est: ex eaque, tamquam ardens amator, utramque urbem cupidis oculis inhiabat. Nova munitio sollicitudinem Pistoriensibus injecerat. jugum sibi ea impositum cernentibus. Quare implorato Florentinorum auxilio, haud aegre illud obtinuere. Verum Tedices prono in Castruccium animo, pactique cum illo initi memor, parumque interesse ratus Florentinos ne, an Lucenses dominos acciperet, ne-

---

(1) Bellosguardo.

gato in urbem introitu, satis fore sibi professus est, si foris cum Castruccio manus consererent, eumque ex agro pellerent. Quare Florentini indignati, versis signis abiere. unde Philippo justa renovandi cum Castruccio foederis causa: stipendiumque trium millium, ut antea paciscendi. Sita est Pistorium in Apennini radicibus, aequali inter Lucam Florentiamque spatio (quippe ab utraque CLX. stadiis distat) situs opportunitate, per utriusque populi bella, in quamcumque partem inclinasset, ingens momentum factura. itaque tam Castruccius, quam Florentini suam facere gestiebant. Cumque hi nuper a se alienatam reputarent, omni ope connitendum rati, ut iterum in suas partes traducerent, hanc viam iniere. Offensus erat fratris filio Hermannus Tedices, ab eo dominatione exutus: et quamquam omni cultu ac honore habitus, tamen privatae fortunae impatiens, oderat pretia servitutis. eum Florentini aggressi, spe ac promissis onerant, si ejus beneficio in urbem immittantur. Hermannus cum praefecto militum externorum, qui in praesidio urbis erant, communicata re, in partes suas pertraxit: constitutumque ut ad certam diem copiae Florentinorum ante lucem ad moenia subirent. reserataque porta, cujus custodiae praefectus

impositus erat, clam admitterentur. Itaque X. Kal. octobris, milites Florentia ex condicto affuere. Verum, indicio per praefectum ante ad Philippum delato, res in irritum cecidit: Florentinique ea spe depulsi domum rediere. Intelligebat Tedices fortunam suam in lubrico esse: eoque redactas res, ut alterutra gens accipienda esset, imperiumque illi tradendum. Nam, nec Florentinos, nec Lucenses unquam quieturos, donec voti compotes fierent: nec eas sibi vires, ut obstinatis potentium populorum armis diu obsisteret. Quare occupandam gratiam, propitiumque dominum quaerendum. et quoniam stare jam non posset, curandum ut ex alto quam minime caderet. Ambiguum animum, et data fides et majoris pretii spes ad Castruccium inclinabat: sed ne id Guelphis, qui in civitate erant suspiciosum esset, ita tractandam rem, ut Florentinorum spes alendo, securius eos falleret. Erat Philippo a consiliis Cremonius, simulandi ac dissimulandi artes callide edoctus: cujus suasu Gregorio quodam augustinensi clam ad Castruccium misso, ut cum eo de Pistorio transigeret; ipse Tedicis nomine Florentiam profectus est, ut de tradendae urbis conditionibus cum magistratibus ageret. Cremonius a Florentinis benigne exceptus, qua pollebat fallendi arte,

ita eos ductavit, ut etiam equites qui Pistorium mitterentur impetraret, ne quis tumultus oriretur. pacto ut Carolus Philippi filius equestri ordine insigniretur, censu trium millium attributo: duaeque adultae virgines, principibus florentinae nobilitatis, data e publico dote, in matrimonium locarentur. quibus conditionibus ferendis accipiendisque ita trium mensium spatium insumpsit, ut nihil florentinae calliditati suboleret. Interim occulte per Gregorium augustinensem compositis rebus (1) Castruccius ex improviso, uti condictum erat, in montana Pistoriensium, cum magna peditum equitumque ac ballistariorum manu venit: machinisque circa dispositis, Sambucam munitissimum ejus regionis oppidum obsedit. Ad eum nuncium Tedices simulato metu, sororis maritum ad loci tutelam misit, qui cum aliquot dies, proditioni tegendae, oppidum in speciem defendisset, Castruccio tradidit. Ibi aliquandiu Castruccius commoratus, dum Florentini adventu ipsius trepidi, traditionem Pistorii festinant, III. nonas maji, per tenebras ex composito ad urbem castra movet. Miserat antea Tedices Carolum filium ad occupandam

(1) Ann. 1325.

suburbiorum portam cum aliquibus consciis, qui custodibus interfectis, reseratisque portarum claustris, novum praesidium imposuere. Quo facto, caeteris ad portae custodiam relictis, juvenis paternae fidei obses ad Castruccium profectus, amplexu osculoque exceptus est; substititque donec signo, ut inter eos convenerat, accensis facibus dato, Castruccius copias urbi admovit: Carolo ipsius lateri adequitante. Ubi ad portam ventum, ea statim patefacta, exercitus ingredi coepit. Sed Castruccius, ne qua fraus subesset, tanto tempore substitit, donec postes a cardine vellerentur. ubi eas evulsas resupinatasque conspexit, nihil cunctatus, cum reliquis copiis ingressus in forum contendit; jamque diluxerat, cum cives captam urbem, Castrucciumque cum exercitu immissum aspexere. Guelphorum Florentinorumque praecipua trepidatio erat, invisam faciem aspicientium: ac plerique jam laqueos securesque ominabantur. Itaque alii praecipites per muros se dejiciunt; alii cum florentinam portam vi occupare tentassent, a Castruccio oppressi captique sunt. nonnulli e primoribus per eum tumultum caesi. Milites Florentinorum qui in praesidio urbis erant, cuncti fere armis equisque spoliati; vitae consultum. quin comiter a Castruccio ex urbe dimissi: praesidio

etiam dato, ne quid injuriae ab exercitu iis inferretur. Fama est, non amplius VI. aureorum millibus Castruccio pistoriensem civitatem stetisse: quorum quinque Cremonius technae totius artifex, reliquos aequis portionibus Minius Cinus, et Bartholomaeus Ricciardus, qui advenienti portam patefecerant, abstulere. Augustinensi proditionis internuncio, praefectura (1) templi Longobardorum Lucae praemium fuit. Nuptiae deinde Dialtae Tedicisque magno apparatu celebratae; cum Philippus priore conjuge paulo ante veneno sublata, novae sponsae vacuam domum fecisset. genero X. millia dotis nomine, ac praefectura urbis concessa. Tum civitati in obsequio continendae novi operis arx extrui coepta. Dum Castruccius cum Tedice de Pistorio consilia agitat, tribus aliis locis occulte flammam subjecerat, ut eodem tempore erumpens incendium, quatuor simul urbes una ruina involveret. Nam et percussores Nerio comiti, principibusque civitatis Pisas immiserat: Pratum Puliesiorum proditione tentaverat: ac Florentiae nobili Frescobaldorum stirpe Thomam repererat, qui rempublicam libertatemque civi lucensi addiceret. Is quibusdam gal-

(1) Priorìa di S. Frediano:

licae militiae praefectis, quos paulo ante Florentini mercede conduxerant, corruptis per monachum, qui militi a sacris confessionibus erat, urbem Castruccio tradendam susceperat: sed patefactis ubique conjurationibus, consciorumque aliis supplicio affectis, aliis proscriptis, ea consilia exitum non habuere; eum cui ferro ac virtute fidenti in acie numquam defuerat, fraude dolisque agentem, veluti proditionis pudore, saepius destituente fortuna. quo die Castruccius Pistorio potitus est, Florentini Urlimbaca teutonum militum praefecto, Petroque Landulpho creatis equitibus, per ludum laetitiamque agebant: solemnique convivio apparato, cum novis equitibus, vexillifer caeterique magistratus, vino epulisque laetum diem celebrabant; cum inter dapes et pocula tristis de Pistorio nuncius supervenit: perculsi ea significatione, epulas abjiciunt, mensas evertunt, raptimque sumptis armis, quasi succurri posset, maxima celeritate cum peditum equitumque copiis Pistorium proficiscuntur: sed Pratum usque progressi, ubi Castruccium jam urbem ingressum, cunctaque ab ejus militibus teneri, nec jam spem ullam superesse intelligunt, conversis signis, magno cum dolore, jamque de se actum conclamatumque reputantes in urbem redeunt. Florentinos ingenti moe-

rore oppressos, non parum recreavit Raymundi Cardonae in urbem adventus: qui ruptis vinculis, quibus bello in Vicecomites captus detinebatur, Mediolano fugiens postridie Florentiam intravit. erat hic dux clarissimus in Hispania ortus, qui Roberti regis auspicia sequutus, Fridericum Siciliae regem classe fuderat: genuensique bello strenue regi, Guelphisque operam navarat. mox pontificiis copiis adversus Insubrum regulos praefectus, praelio victus, in potestatem hostium venerat: elapsusque custodia, cum hiemem Avenione apud pontificem egisset, classe ad oras Senensium advectus, Florentiam inde pervenerat. Huic in eo rerum articulo, tamquam e caelo misso armorum imperium detulere. celebratisque magna laetitia imperii ejus auspiciis, ut aliquo illustri facinore primordia sua civibus approbaret, postridie, quo lectus dux est, copiis ad Artiminum Pistoriensium oppidum eductis, intra paucos dies obtinuit: incolisque Florentiam traductis, muros turresque solo aequavit. Tanti ducis praeter spem adventus, festinata ad Artiminum victoria, opportunitas anni medio jam vere ad bellum invitantis, insitum in Castruccium odium premendique illius cupido, bellum adversus eum suadebant. Verum quos moderata magis, quam speciosa movebant, ex-

pectandum potius quam inferendum bellum arbitrabantur. Praeter felicitatem invicti ducis, nec unquam impune tentati, caelestia etiam prodigia terrebant. Nam quo die Artiminum captum, globus igneus longam facem secum trahens super urbem discurrerat: et superiore nocte terrae ingenti motu concussae contremuerant. Aprili vero mense per totam Etruriam tanta nivium copia caelo deciderat, ut insueto monstro cunctorum animos, magni alicujus mali terror invaderet. Ominosum quoque erat ex ergastulo quaesitus dux: carceresque et vincula servitutem potius cladesque, quam victoriam spondebant. Bellum tamen decretum: liberarum gentium fato, apud quas sententiae non ratione, sed numero censentur. Igitur vexillum propositum, edictumque ut ad certam diem, cuncti instructi paratique ad exeundum in hostem in armis essent. in quam diem iter edictum est, XV. millia peditum, bis mille et quingenti equites sub signis stetere. pedites ex urbe agroque, equites, quinta parte detracta, e diversis transalpinarum gentium auxiliis armaverant. Nam quingenti e Gallia, totidem fere e Germania, reliqui ex Aquitania, Belgio, Cantabria advenerant: in iisque multi nobiles nomina dederant. Senenses quoque ac Bononienses, aliique foederati

per Etruriam guelpharum partium populi auxilia submiserant: in eo salutem suam positam arbitrati, si tam validum acerbumque hostem debellassent. Ea occasione, ad expeditionis ejus famam currus militaris eductus; quem ea aetas maximum bellorum momentum reputabat. tantus vero tabernaculorum impedimentorumque apparatus dicitur, ut IV. fere jumentorum millia sarcinis ferendis exercitum sequerentur: ac ubi substitissent regiorum castrorum speciem DCCC. tabernacula ordine disposita, intuentibus praeberent. Sumptus in eam expeditionem (ingens ea aetate summa) tria millia aureorum quotidie in aerarii rationes veniebant. His copiis, quod bene feliciterque reipublicae florentinae eveniret, Pistoriensium fines aggredi visum: ut ea civitate expugnata, liberior in lucensem agrum transitus esset. Vani rerum in omen trahebant, quod procedente exercitu, cum e turribus aera undique personarent, tintinnabulum duobus ac viginti annis Montali capto Florentiam translatum, ad primos ictus fatiscens vitium duxisset. Sed is metus, quam brevi prosperis rerum initiis inanis visus; tam postea infelici eventu fidem meruit. Primis castris ad Pratum positis, sequenti die Cardona pistoriensem agrum ingressus, cuncta late igni ferroque populabundus

excurrit: ut ea ratione Castruccium in praelium exciret. Sed nullo obviam exeunte, eadem vi cunctas circa arces munitionesque expugnavit: castrisque ad urbem admotis, sub ipsis moenibus VIII. Kal. jul. qui D. Joanni, in cujus tutela Florentini sunt, sacer est, ludos cursorum egit: ut ea saltem injuria hostem ad pugnam pertraheret. misso etiam caduceatore, qui ei certamen indiceret. cui cum nondum advenisse tempus respondisset, contentus tueri moenia, sapienti dissimulatione hostium contumelias parvipendens, animo alte recondebat, in tempore repositurus. Quippe non satis ad praeliandum acie instructus, missis qui undique ab amicis foederatisque auxilia exposcerent, in eorum adventum certamen differebat. Cardona, ubi omnia frustra fieri, Castrucciumque ad detrectandum certamen obstinatum videt, ad Titianum retro conversis signis, tamquam in ejus oppidi obsidione haesurus, machinas expediri, duci fossas, agi cuniculos, aliisque militaribus operibus cingi muros jubet. Interim parte copiarum in Phocenses missa, caedi materiam, pontesque fieri imperat, quibus ultra Guissianam amnem exercitus in lucensem agrum trajiceretur. qui postquam aedificati sunt, per silentium noctis flumini injecti, tanta dissimu-

latione, ut etiam proximos Falconenses (1) fallerent. Tum a Titiano, cujus obsidionem belli fraude tentaverat cum reliquo exercitu profectus tertia ferme diei hora ad flumen pervenit; trajectoque exercitu ea nocte in ripa fluminis ad Cappianum (2) oppidum castra posuit. Sequenti die lapideum pontem, turresque illi a Castruccio inaedificatas oppugnare aggressus; cum qui in praesidio erant, hostium impetum diu substinuissent, pacto ut incolumes abire liceret, se se dedidere. id vero mire laetum Florentinis accidit, quod nulla vi ante id tempus, quamquam saepius tentata re, ea claustra perrumpere valuissent. Cardona valido suorum praesidio imposito (quippe is aditus subvehendis ad exercitum commeatibus unicus erat) ad expugnandum quoque oppidum curas intendit: perque triduum machinis tormentisque oppugnatum, tandem deditione obtinuit. Falco in vicino monte restabat. illud etiam a tribus partibus simul adortus, recepit: eaque loca novis praesidiis impositis munivit. Castruccius transitu hostium ultra Guissianam audito, vehementer commotus; cum Pinam conjugem viri-

(1) Montefalcone.

(2) Capiozzano.

lis animi feminam tuendae Lucae satis putasset. Pistoriensibus secum abductis, ne quid eo absente turbarent, praesidiisque suorum munita urbe, Naevula amne superato, inter Cerrulium Clarumque ac Vivinariam in tuto castra posuit. tum fossa ingentis operis a colle usque ad paludes ducta, vallo insuper labra ejus munivit: arcemque porcariensem olim eversam restituit: transitum in planitiem prohibiturus. siquidem lucensis ager a pistoriensi, hinc praealtis montibus, qui Apennino junguntur, hinc paludibus late stagnantibus dividitur: nec nisi brevis terrarum tractus inter montes paludesque interjacet. Interim illi ab arretino antistite CCC. equites advenerant. ducentis aliis ex Piceno Flaminiaque, nec non alia turma CL. a dynastis maritimae Tuscorum orae submissa. ex Insubria quoque Actio vicecomite cum valida DCCC. equitum manu prope diem affuturo. quare jam peditatu equestribusque copiis auctus, fortunam belli acie experiri poterat. Sed militarium rerum callidus, parvis victoriis hostem allicere volebat; donec captorum oppidorum praesidiis, morbisque etiam, quos per aestatem palustria loca per militem vulgaverant, exercitu imminuto, faciliorem ipsi victoriam daret. tum si quid ab eo per errorem peccatum esset, occasionem suam faceret; quod evenit.

Cardona, capto Falcone, exercitum ad Topalsium obsidendum statim duxit: tum opportunitate loci, tum arcis munitione permotus. Quippe viae qua in Phocenses itur imminens, totius ad Arnum regionis veluti claustrum est. praeterea non amplius octo passuum millibus ab urbe Luca distat: quare obsidionem ejus civitatis tentaturis, haud tutum erat tam munitam arcem a tergo in hostium potestate relinquere. Nam id oppidum per ea tempora munitissimum habebatur: praeter murum praealta fossa valloque, pluribusque turribus novo opere haud multo ante a Castruccio firmatum. praeterea copia commeatuum suppetebat, quingentique lectissimorum militum in ejus praesidio erant. Igitur III. Nonas augusti Raymundus ad Topalsium castra posuit, haud quaquam operis difficultate territus. nam et copias auxerat; cum praeter CC. equites jam ante praemissos, a Senensibus alii CC. cum DC. ballistariorum manu advenissent: quos centum equites voluntarii, privatorum studio sequuti erant. Perusini quoque ac Bononienses, prosperis Florentinorum acceptis initiis, novas equitum turmas submiserant. tum lucenses pistorienses que exules, CXXV. equitum numerum explebant: pluresque a regulis populisque foederatae Etruriae certatim eque-

stres copiae affluxerant; ut quamquam pluribus caeli gravitate absumptis aut morbo implicitis, cum ad Topalsium castra posita sunt, in exercitu Florentinorum amplius tribus equitum millibus, censerentur. Coeptum igitur ab omni parte acriter oppugnari oppidum tormentis machinisque: nullo neque diu neque noctu spatio ad requiem dato. Sed et murorum firmitate, et propugnatorum numero ac virtute, omnes hostium conatus eludebantur. exercitusque tot millium, jam alterum mensem circa moenia unius oppidi haerebat. Interim Castruccius dare se in pugnam minime opportunum ratus, si cura rerum suarum ab oppugnatione hostes averterentur, Pistorio CC. equitum manum in pratensem, deinde in florentinum agrum immisit. qui impune cuncta incendendo populandoque excursione facta, cum captivis praedaque domum revertere. Nec multo inde CL. equites, M. pedites ad Carminianum obsidendum ire jussit. Sed occursu equitum Bononiensium, qui Florentiae erant, agrestiumque, qui subinde affluebant fusi fugatique CCCCL. eorum caesis, aut captis. Ad artes quoque conversus, duos e Florentinorum exercitu Gallorum equitum praefectos, praemiis propositis ad proditionem sollicitavit. sed alterius, in extremo vitae spiritu, indicio patefactis con-

siliis, proditio discussa. Alter Gulielmus Norius, qui de Frescobaldi conjuratione jam ante suspectus, simulata valetudine evaserat; ne si de eo sumptum supplicium esset, Gallorum animi irritarentur, missionis specie ab exercitu amotus. qui simulato Neapolim itinere per maritimam oram ad Castruccium reversus, plura damna in posterum inferendo, Florentinos probe ultus est. Nec vicissim Florentini magis ferro quam artibus in Castruccium pugnabant. Nam cum Joannes pontifex tamquam guelpharum partium acerbissimum hostem, Bavarique studiosum, illum diris ac execrationibus devovisset: Florentiae pontificis sententiam pro concione recitaverant, animis suorum incendendis, ut deinceps in eum, non tam adversus patriae quam religionis sacrorumque hostem pugnarent. Topalsium interea, quamquam summa ope, tamen parva spe oppugnabatur. Nam et oppidani munitione ac praesidio militum confisi, omnia deditionis consilia respuebant: exercitusque taedio longe morae affectus, tum crebris missionibus, quae praeter quam quod in precaria multitudine, atque ex tot gentibus necessariae erant, ducis etiam avaritia vendebantur: tum mortibus ex pestilenti caeli haustu, rarior in dies fiebat. Quare dux pudore irriti incepti, minuendis oppidanorum animis,

pluribus locis cuniculo muros suffodere aggressus, non parum constantiae infregerat. sed nihil aeque retinendi oppidi desperationem injecerat, quam quod tormentis machinisque obscaena tetrique odoris intra muros ingerebantur: quae cum et gravis palustris caeli spiritus, et vapor aestivi solis intenderet, intolerabilem incolis sedem reddebant. Multique, et vigiliarum labore, et corrupti aeris habitu morbis afflictabantur. Quare ducibus hostium tandem ad colloquium vocatis, nisi intra triduum subveniretur, deditionem certis legibus paciscuntur. tum Castruccium per nuncium fortunae suae admonent, subsidiumque efflagitant. Is quamquam socios in eo articulo deserere indignum videretur; tamen, cupiditate unius oppidi retinendi, de summa rerum periclitari minime censuit. itaque oppidum in Florentinorum manus pervenit. Ea jactura alte Castruccii animum perculit. jamque de eo iniqui in castris rumores erant, tamquam pristinum animi robur virtutemque perdidisset. « Scilicet ho-
» stibus quotidiano successu auctis, ipsum
» inerti dissimulatione detrimentis suis inulte
» assidere. ubi nunc eum mentis vigorem,
» eos spiritus, quibus Martem accendere, aliis-
» que etiam virtutem indere solitus esset? »
Sed nota ducis virtus, militarisque rei scientia,

qua omnes ejus aevi imperatores anteibat, id valere, ut quae segnitia videbatur ars putaretur. adjuvabat ipse eam famam interrito vultu; et quasi certus victoriae, bonam spem milites habere, secundisque servare animum jubebat. Florentini, oppidanis emissis, novam coloniam praesidiumque in oppidum inducunt. tum moenia arietum machinarumque impulsu quassata reficere aggressi, brevi in pristinae munitionis speciem redegere. Hinc consilio advocato, de reliquo bello agi coeptum. alii exercitu ex dimidia fere parte, aut morbis aut missionibus exhausto, adituque Castruccii munitionibus undique vallato, tentandam Lucam minime censebant. consultius fore copias ad Mariae fanum traducere, quod morbis mortibusque infrequens, parvo negocio obtineri posset. ubi vero sociis, civibusque ad signa revocatis, suus exercitui numerus constitisset, de Luca agitari consilia posse. « Nec de Castruccii inertia ullam spem capiendam. eum » non timorem, sed consilium esse. Magnos » duces ad veram gloriam contemptu famae » niti. ita Fabii adversus rumores invicti, cun» ctatione Annibalem superatum; restitutamque » rempublicam, quam praeceps aliorum ducum » temeritas afflixerat ». Haec sententia sine dubio salubrior veriorque erat. Sed ii, quibus,

et sua audacia et tot secundarum rerum eventus ferociam dabant, ducem pro arbitrio regere assueti, sana consilia pro inertibus spernebant. « Castruccio ad unum oppidum » tuendum animos defuisse. nihil eum jam » pristini vigoris, nihil virtutis praeferre: stu» pentemque malis veluti obtorpuisse. jam tres » menses hostium exercitum in lucensi agro » esse. ipsum non vallo exire, non signa pro» ferre, non acie congredi ausum. itaque » perculso instandum, suaque confessione jam » victo, plenam victoriam extorquendam. Lu» cam ex multo tempore, tot in florenti» num populum injuriarum sedem, totius belli » caput arcemque ferro flammisque abolen» dam; nec difficile esse, unius feminae tu» telae commissam, plenam iratorum civium, » amissamque libertatem respicentium, expu» gnare. Luca in potestatem redacta, Pisto» rium nihil cunctaturum, ita unam victoriam al» teri gradum fore ». Haec sententia valuit. Nec multi operis fuit ducem in eam pertrahere. ventosum hominem, et qui vana spe elatus, magnas sibi opes ea victoria, ipsamque Florentiae dictaturam (1) promiserat. Igitur VI.

(1) Balia.

Id. septembris, castris Topalsio motis, relicto collis itinere (quod primo peccatum) in plana descendens, palustri limosoque solo ad sextinas paludes ea nocte consedit: cum inter Porcarium ac Vivinariam, ex adverso hostis tendere potuisset. biduum eo loco stativis habitis, sero sapiens factus, inter Porcarium Clarumque iter tentandum ratus; non tam obtinendi spe, quam ut hosti persuaderet, animum sibi progrediendi potius quam regrediendi esse; praemisit qui exercitui viam munirent: Urlimbaca cum centum Germanorum ala in praesidium dato. Castruccius eorum adventu cognito, quod tamdiu expectaverat advenisse tempus ratus, nonnullis suorum obviam ire jussis, ipse cum reliquo exercitu, in vallem descendit, pugnae copiam hosti facturus: qui callibus praesiderent in colle relictis. Interim inter Germanos, eosque qui immissi in occursum fuerant, levis velitatio exorta: quae intra breve tempus vicinitate castrorum utriusque partis, fere in justum praelium excrevit. Nam e Florentinorum acie, CC. equites e Gallis Germanisque supervenerant, Castrucciusque CCCC. equitum manum in suorum subsidium submiserat. Ibi atrox praelium exortum; cominusque gladiis pilisque res gerebatur. pugna in plures horas extracta, et nunc invicem repulsi,

ac repellentes, fugando pariter fugiendoque alternavere; in neutram partem inclinante victoria. quater praelium diremptum, quater instauratum: utrinque animis, aut ad vincendum, aut ad moriendum accensis. Cardona equitibus iratus, quod injussu suo in praelium processissent, primo copias intra vallum continuit. mox ubi inclinatam suorum aciem numeroque imparem conspexit, portas egressus in auxilium accurrit: donec ad fossam, quae iter dirimebat perventum. ibi cum aliquandiu incertus substitisset, postremo metuens, ne dum transitum molitur, hostis divisas copias aggrederetur, in castra rediit. id ubi a Castruccio e superiore loco conspectum, et ipse in aciem procurrit. Tum vero veluti de integro praelium inchoatum. praesentia ducis, quamquam diversis causis, suorum, hostiumque animos auxerat. et hi quidem exemplo verbisque erecti; illi tanti viri clade gloriam quaesituri resumpserant vires. Florentini equites, quamquam viribus longe impares, tamen egregiam pugnam edidere; multis nostrorum caesis vulneratisque. Urlimbachae praecipue Germanorum praefecti virtus eo praelio insignis extitit: qui Castruccium ipsum pugnando adortus, vastis viribus, in terram afflixit; ut parum abfuerit, quin is vivus caperetur. Sed cum

occursu suorum protectus, periculo exemptus se in tutum recepisset, Urlimbaca oppressus captusque, et ad Castruccium deductus est. Sub vesperam tandem pugnandi finis factus: multis utrinque interfectis vulneratisque, victoria tamen penes Lucenses fuit. Capti praeter Urlimbacam, nobiles viri Franciscus Brunellescus, et Joannes Tosa: pluresque e Germanis Gallisque. nullus vero Lucensium in hostium potestatem venit. tantum sub noctem, ultra centum Castruccianorum equi, in Florentina castra vacui errando pervenere. Reductis in castra militibus, cum quisque ad se ejus pugnae gloriam traheret, ad multam noctem tubarum clangore, plausuque militari utrinque personatum. Caeterum ex ea die Florentinis animi cecidere, nec nisi abjecti diffidentesque in aciem postea prodiere. cognito tamdiu fortunam ipsis adfuisse, quamdiu Castruccius pugnam detrectasset. Castruccius eo successu laetus, primaque illa velitatione summae totius fortunam ominatus, universis viribus concurrere cupiebat. Sed dum nova Mediolano, aliisque ex locis auxilia advenirent sustentandum rebatur, hostem inter stagna paludesque tendentem, ut ipse quietum haberet, locis ipsis oppugnari: detinendum tantummodo, ne consilia fugae caperet. cui rei hunc dolum

intendit. quorumdam oppidorum ad Naevulam flumen incolas, jubet datis per simulationem ad Florentinorum ducem literis, paratos se ad deditionem ostendere. Verum rei exitu maturando, spatio opus esse. ubi opportunum tempus adfuisset, certis nunciis significaturos. Dum Raymundus ea spe ducitur, interim Actius vicecomes cum M. equitum. manu, aliaeque a Passerino Mantuae, Scaligero Veronae regulis auxiliares turmae, Apennino monte superato in lucensem agrum descenderant. Quod ubi Cardonae cognitum, haud ultra differendum ratus, Castruccio pugnandi copiam facturus, e planitie in colles exercitum ad Topalsium subducit: ut antequam nova auxilia se se hosti conjungerent, acie decerneretur. Sed non majore quam antea consilio sedem castris legit. Nam periti rerum aestimavere, si Guissianam superasset, aut saltem ad Gallenam in aditu phocensis silvae constitisset, pugnam in ejus arbitrio futuram: utpote eo loci tendens, ubi cogi non posset. Sed jam fortuna florentinae potentiae fatum urgebat. Interea insubres, mantuanae veronensesque turmae Lucam pervenerant: sed Actius antequam pacta stipendia solverentur, in aciem exiturum negabat. Tum vero Castruccius fremere, victoriamque sibi e manibus eripi socii avaritia indignari.

propere e castris in urbem advolat, omni arte Actii animum versat: matronarum preces, quas eximia specie omnes in conspectum dedit, adhibet: quae antequam Castruccius ferro, Florentinos forma vicere. Tum sex millia aureorum partim praesenti pecunia persolvit, partim per mensarios perscribit. « certam victo-
» riam esse, omniaq futura eorum qui vicissent.
» cum eo duce rem fore, quem patruus ipsius
» in Liguria, pater ad Naurium superasset. Ve-
» niret proinde, fugitivumque suum, sua manu
» in vincula reduceret. » Ubi motum sensit, propere in castra revertitur, condicto, ut proxima luce ad exercitum praesto foret. Mille equites Actius adduxerat, mantuani CC., veronenses quingentorum numerum explebant: itaque praeter ingentem peditum multitudinem, supra tria equitum millia in exercitu Castruccii erant. Jam IX. Kal. octobris dies aderat, reipublicae florentinae prope interitu nobilitandus, cum vix orta luce Raymundus in Phocenses motis castris iter instituit. Sed conspecto, Castruccium e clivo in campum descendere pugnae copiam facturum, ne fugere hostem videretur, motum jam agmen inhibuit; instructaque acie signa canere jubet, hostemque in praelium paratos milites opperiri. «adesse
» tempus tamdiu expectatum, quo Etruriae ju-

» gum detraherent. Tyrannum sua vecordia » eo tandem adductum, ubi tot scelerum poe- » nas una hora lueret. irent, eam victimam » patriae, partibus, religioni mactarent. sci- » rentque eodem die et finem Castruccii vi- » tam, et florentinam libertatem initium habi- » turam. » Castruccius quoque paucis suos adhortatus « quod bene, feliciterque eveniret, » expedire arma, ac in hostes tamdiu vinci » assuetos procedere jubet. hos esse, quos » toties fuderint, in quorum fugientium ter- » gis toties haeserint, quibus tot oppida ade- » merint, quorum agros villasque igni ferro- » que vastaverint. irent, ducemque adhuc so- » lis cladibus notum vinculis suis redderent. » Florentini antiquo militiae more exercitum in tres acies diviserant. in prima locaverant CL. equitum manum, ex Florentinis Gallisque permixtam, initium pugnae facturam, virtute magis quam numero validam. qui tanto impetu in Actii equitatum in prima acie stantem invecti sunt, ut ea perrupta, ad alteram penetrarent. in secunda DCC. equites Bormio duce erant, sed animo, ac fide a primis longe diversi. quippe ubi Actium frementem ira ob Germanorum suorum turmas a tam paucis pulsas Bormius conspexit, seu metu, seu, quod deinde fama tulit, Castruccii auro corruptus,

cum suis in fugam versus, timore suo reliquam aciem perterruit. Raymundus, qui in tertia acie constiterat, ubi fugientem Bormium vidit, attonito similis, neque quid ageret, nec quid consilii caperet expediebat. Itaque Castruccius, qui postremos ordines ducebat, in trepidantem invectus, eum quoque cum caetero equitatu in fugam vertit. Pedites soli eo die egregiam pugnam edidere. sed et ipsi deserti ab equitibus, cum numero hostium obruerentur, terga vertunt. Castruccius ad primam hostium fugam, equitum turmam ad occupandum Guissianae transitum missa, dejecto Florentinorum praesidio pontem obtinuit. Itaque cum effuso cursu illuc omnes fere ad nota effugia confluerent, passim caesi captique. ut longe major occisorum captorumque in fuga numerus, quam in praelio fuerit. quot in ea clade hostium ceciderint, incertum: plures tamen peditum equitumque caesos constat. multo magis captorum numerus extitit: Quos quidam ad XV. millia pervenisse auctores sunt. Inter eos ipse Florentini exercitus imperator Cardona cum filio in potestatem nostrorum venit. Praeterea ex florentina nobilitate ad XL. ex reliqua Etruria aut nobiles, quive ordines duxissent XXX., Gallorum Germanorumque L. plerique equestris ordinis capti: cun-

cta quoque signa militaria in fuga abjecta, castraque cum omnibus impedimentis, curruque militari capta, cumulatam omni ex parte victoriam fecere. Haec est celebris ad Topalsium clades, tam florentinae reipublicae, quam Cannensis romanae quondam memorabilis. quippe eo desperationis adacta, ut ne servire cogeretur, abjiceret libertatem.

Castruccius victoriae impetum sequendum ratus, captivis Lucam in custodiam missis, ad obsidendum Cappianum processit: eoque statim recepto, eadem celeritate Falconem quoque obtinuit. Mox ad Topalsium obsidendum profectus, quo plures infelicis pugnae die ex hostibus se receperant, eo per deditionem potitus est: quamquam si fuisset animus, substineri diu obsidio potuisset, et copia commeatuum, et propugnatorum numero. Sed fortuna, quasi praeteritorum poenitentia, transferre cuncta ad Castruccium festinabat. Capti in eo oppido supra quingentos, Lucamque in custodiam missi: cum se ejus misericordiae permisissent. quae oppida muris turribusque nudavit, ne praesidiis extenuare copias cogeretur. Inde cum jam nihil hostile in lucensi agro timendum esset, requiem militibus concedendam ratus, Lucam rediit, summa gratulatione omnium exceptus. Ibi paucis diebus moratus, Pisto-

rium cum exercitu petiit, ut interim alieno sumptu militem aleret. inde Philippo Tedice ad obsidendum Carminianum misso (quod oppidum Florentinorum fuga desertum, una cum Strozziorum munitione, intra paucos dies receptum) ipse ad Lecorium in florentino agro consedit. Sequenti die in collibus ad Signam, sexto a Florentia lapide castra posuit: tormentis machinisque ad oppugnandum oppidum expediri jussis. praesidium Florentinorum victore conspecto, qui jam solo nomine ubique terrorem fugamque faciebat, oppidum deseruit (1): tam praecipiti trepidatione, ut ne quidem impositum Arno pontem, ne transitus ad insequendum hosti daretur, solveret. Signa capta direptaque, ad Mauri fanum progressus, vicos villasque igne ferroque vastavit. Mox Peretulam ad secundum lapidem processit. direptoque vico ac incenso, usque ad urbis moenia populabundus excurrens, terrorem cladem que late intulit. Ibi triduum stativis habitis, totam regionem quae Arnum montesque interjacet, arborum vinearumque strage deformavit. ardebat continenti fere incendio amoenissima Etruriae regio; villaeque quibus instructa magnifico sumptu cultuque frequens,

(1) Pareva che tutto il mondo li fuggisse davanti. *Hist. Pistorien.*

direptae incensaeque, flammis ruinisque solvebantur. Tum signa pietaeque tabulae, nobiles magnorum artificum manus, Florentinis talium studiosis, iisque artibus ea precipue aetate reflorescere incipientibus, partim sublatae, partim incendio absumptae. nec quisquam tantae cladi prohibendae obviam procedere ausus: sed intra moenia moesti et attonitis similes, fumum flammamque oppidorum villarumque hauriebant. Ad externi hostis metum, ea quoque suspicio adjecta, ne captivorum propinqui, suorum calamitate moti, aliquid pro hostibus in urbe molirentur. Tot malis, reponendae injuriae apud Pistorium acceptae, contumeliam quoque addere visum: quartoque Non. octobris sub ipsis moenibus urbis, cursus equorum hominumque acti: in quibus majore ludibrio etiam feminae vulgato corpore infames certavere. Postridie turbinis more, belli tempestatem in propinqua loca traducens, cunctis qui in oppidorum praesidio erant, non expectato adventu ad ejus famam dilapsis, Capallim Calentianumque capta ac direpta incendit. noctu stativis ad Signam habitis, postero die flumen transgressus, Gangalandum, Martini fanum, Palmam, Pulciorum oppidum, totumque septimanum agrum simili clade affecit. Ad VIII. Idus castris ad flumen Gravim posi-

tis, usque Petri fanum, cui Monticulo nomen, Marignollas, Columbariamque excurrens, ea loca diripienda militibus concessit. quae avehi non poterant, igne corruptis: magno civium terrore, ne ab ea parte urbem aggrederetur. Quippe vicis muro minime clausis, sed vallo tantum pluteisque (1); quae per eum tumultum summa ope festinabantur. Sed ut Annibali castris ad Anienem positis, Romam aggrediendi, ita Castruccio, cunctis circa vastatis, tentandi Florentiam aut fortuna aut consilium defuit. Nam et civitas plerisque ex agro oppidisque in eam terrore compulsis, multitudine abundabat: copiaeque auxiliares, Insubrum praecipue, maturum reditum festinabant. Quare Florentia relicta, ad Pesam flumen progressus, Cassiani fanum, Lupum, cunctaque ejus regionis oppida diripuit, flammisque absumpsit. idem Quarantula et Pónturmum passa. ita ut quae aliquot ante annis, ab Henrico imperatore Florentini passi fuerant, minimam partem castruccianae cladis aequarent. Nec aptior imago, victoris iram, pulchritudinemque ac magnificentiam eorum quae periere comparantibus visa; quam cladis a Philippo Macedonum rege olim Atheniensibus illatae. In hoc regis animum Castruc-

(1) Berlesche.

cio superante, quod non per tenebras furtoque, sed palam, ac in oculis hostium impune desaeviit: Lucam reversus, persolutisque Actio XXV. aureorum millibus, partim stipendii, partim praedae nomine; VII. Kal. novembris iterum cum Insubrum copiis (duo millia equitum adduxerat) florentinum agrum ingressus, Rifredum usque Arnique insulam processit. ac in vicecomitis gratiam, quod Cardona eodem ludibrio quondam Mediolani moenibus insultasset, rursus circa muros urbis equestres ludos egit. Is adventus, multo quam antea majorem Florentinis metum incussit. auctaeque suspiciones, non de nihilo eum reditum esse, nec sine proditionis spe susceptum. Quare missis qui undique auxilia implorarent, tum ad regem Robertum, tum ad foederatas circa gentes, a nullo impetravere. Miniatenses tantum Collensesque, bonorum sociorum officio functi: quorum primi LXXX. equites; alteri C. pedites, XXV. equites submisere. Magna etiam cura incesserat animos, ne Castruccius, ut saepe minatus fuerat, in adversam partem transgressus, Faesulas occuparet, novisque operibus munito loco, ad obsidendam urbem uteretur. fecissetque, nisi Ubaldini, qui ghibellinae factionis erant, datam fidem fregissent. Eo metu Florentini fesulanam arcem muniere:

nova etiam munitione in monte ad Miniatis aedem extructa: uni urbis tutelae, caeteris velut in ultima desperatione rerum omnium omissis, intenti (1). Tot malis quibus misera urbs premebatur, pestilentia accesserat, quae per affecta laboribus belli corpora primum saeviendo, in alia quoque morbos vulgaverat: agrestesque qui cum pecoribus armentisque fuga se intra urbem receperant, novi insuetique odoris colluvione, eam quoque intendebant. Secundum haec, Actio Mediolanum digresso, Castruccius in regionem ad occidentem ductis copiis, ut in aliis partibus fecerat, igni ferroque populabundus excurrit. Mox ad Pratum positis castris, novem dies ibi commoratus, totum agrum vastavit: abactu pecorum, caedibus arborum, villarum incendiis ruinisque cuncta deformando. Inde imbrium tempestatibus recedere coactus, Pistorium primo, dein Signam concessit. ex quo oppido militibus praedatum ultra citraque Arnum missis, loca circa Gravim amnem, Jugulum (2) usque, si qua priore clade intacta erant, ferro flammisque delevit. Haec octobri mense, uno belli impetu gesta. Paucis deinde diebus ad quietem militi

(1) Come gente disperata e smarrita. Vill. lib. 9, cap. 317.
(2) Giogoli.

datis, ne hostibus ullum colligendi sui spatium relinqueret, Nonis novembris cum MD. peditum DCC. equitum manu, ad Marinam fluvium profectus, eo consilio ut Muciallam (1) ingrederetur, una tantum nocte stativis eo loco habitis, non parvam pro temporis spatio cladem intulit. Florentini audito ejus loci incolas ad inhibendum transitum, fauces, quibus ea regio aditur occupasse; tandem pavore aliquantum discusso, cum duobus millibus peditum ac ducentis equitibus, ad occupandum alterum saltum per quem Castruccio regrediendum erat, processere. difficilemque hosti reditum fecissent, nisi eorum consiliis per indicem cognitis, anté se in tutum recepisset. Quare cum magna praeda captivisque Signam reversus, in Florentinorum dedecus, nummos argenteos Othonis imperatoris nota eo loco percussit, deque suo nomine appellavit (2).

Hoc igitur modo, Florentinorum agro, longe lateque ad solitudinem redacto: tot oppidis captis, tot eversis incensisque, praeda ingenti, multoque majore captivorum quam quos in acie ceperat, numero auctus, ad Signae custodiam Florentinis exulibus cum CCC. equitum manu

(1) Mugello.

(2) Castruccini.

relictis, remissisque Arretium CCC. equitibus, quos antistes submiserat, spoliis praedaque opulentis, Lucam IV. Id. novembris rediit: utque erat non solum agendo magnus, sed etiam eorum quae faceret magnificus ostentator, quos militari virtute victoriisque aemulatus erat, etiam majestate referre cupiens, triumphum romano more agere decrevit: orbique rem tot saeculis desuetam, iterum ostendere, nec ulli ducum regumque, nisi ab Alphonso tarraconensi, devicto Renato, post ipsum tentatam. Lectus dies III. Idus. novembris D. Martino sacer. cujus annua celebritas, majore basilica ei Divo dicata, eoque in urbis tutelam adoptato, lucensi populo solemnis habetur. Datum id religioni; cujus, extra dominandi cupiditatem, non incuriosus. Orto sole, a loco ubi pugnatum fuerat circa Topalsium pompa moveri coepta: ad cujus spectaculum, fama illius jam per Etruriam vicinasque regiones vulgata, summo studio ingens multitudo confluxerat, quae quacumque agmen transiturum erat, vias complebat: rei novitate erecta, quam longinqua vetustatis memoria vix cognitam, subjectura oculis erat. Praecedebat longus captivorum ordo, ad XXX. ferme millia: ut quisque plebejus aut natalibus splendidis, pedibus aut equo vecti: tristes demissoque in

terram vultu, fortunamque suam agnoscente. in iis visenda praecipue vasta Germanorum corpora, hirtae comae, barbisque horrentibus intonsa ora: inter quos eorum praefectus Urlimbaca equestris pugnae gloria clarus, ingenti corporis habitu, et qui victus quoque captusque ferociam praeferret. Tum Florentinorum praefecti, aut quibus sanguinis claritudo, ac caetera tuscarum urbium nobilitas, quo quisque habitu cultuque armorum capti; legatique variarum gentium in equis conspiciebantur. caesorum spolia, armorum strues, tabernacula, totusque impedimentorum apparatus, ferculis imposita, longum agmen ducebant: signaque militaria Roberto regi Florentinisque ademрta, in ludibrium victae gentis per terram trahebantur. Tum caeteri captivi, Galli, Hispani, aliarumque gentium sequebantur: ad nobilitandum victoris triumphum, veluti fato quodam, e tot diversis regionibus exciti. His medius currus militaris florentinae reipublicae visebatur; tintinnabulo elingui, versisque in caput vexillis: quem phalerata jumenta pluribus jugis trahebant. Sed nihil aeque, humanae sortis contemplatione movit oculos, quam florentinae militiae dux Raymundus; qui una cum filio ante victorem proxime incedebat: illum fortunae lusu ex imperatore captivum,

e captivo iterum imperatorem, mox ad sua vincula revolutum: hunc tyrocinium militiae captivitate posuisse, nec de fortuna patris, quicquam praeter calamitatem hausisse miserantibus. Mox victor Castruccius, purpura auroque insignis sequebatur, dextra laevaque adolescentibus filiis patrem comitantibus, inter plausus laetasque acclamantium voces: circaque legati principum, gentiumque foederatarum adequitabant. Demum militaris turba agmen claudebat: splendidissimo cultu, quisque pro fortunae modo conspicuus. Intranti urbem omnia sacerdotum collegia praesto fuere: interim aere sacro e templorum turribus personante: donec ad basilicam martinianam perventum, persolutaeque Deo victoriarum triumphorumque auctori, Divoque tutelari grates. Nihil aeque devictorum animos affecit, quam quod accensas faces praeferre manibus coacti basilicam intravere: tamquam, quod debellati ductique in triumphum, ac ludibrio habiti essent, Divis gratias acturi, quos iratos sensissent. A triumpho captivi in carcerem reducti, ex quorum redemptionibus deinde ad renovandum bellum, ingens pecuniae summa a victore collecta. Raymundus non nisi post Castruccii mortem e custodia dimissus: quae diu ex ipsius nomine Raymundi carcer appel-

lata. Postridie florentinae nobilitati epulum praebuit: faciliorem sibi viam ad occupandam eorum civitatem fore ratus, si humanitate ac officiis animos ante cepisset. eaque res semper sollicitas Florentinorum curas habuit: non minus Castruccii arma quam humanitatem metuentium. Quippe clementer liberaliterque habiti, verendum erat ne suam magis quam patriae libertatem respicerent. Actus de Florentinis triumphus, non tam finiti belli, quam iterum inchoati indicium fuit. Paucis diebus laetitiae, ac remissioni datis, XIV. Kal. decembris, Castruccius in florentinum agrum, Jugulum usque vastando, incendendoque, nullo prohibente, excurrit. Inde Signam reversus, V. Kal. Murlum, situs fiducia obsistere ausum, oppugnare adortus, aggere valloque omnem aditum obstruxit. tum tormentis machinisque dispositis, moenia quati coepta: simulque saxa ingentis ponderis in oppidum immitti, quae late tectorum stragem ruinamque, magno incolarum terrore edebant. Murum praeterea cuniculo suffodere aggressus, cum magna ex parte oppidum ruinis nudasset, pavorem duplicaverant. Erant in praesidio oppidi Joannes Adimarius et Nerius Paccius cum centum militum externorum cohorte, oppidumque et situ operibusque validum, et commeatibus abun-

dabat. Sed propugnatorum numerus pro loci spatio exiguus, nec qui simul tuendis moenibus, tantisque tormentorum cuniculorumque periculis sufficeret. Subsidium, sive fracti malis sive per injuriam atque avaritiam Florentini differebant. et quamquam a Roberto rege CCC. equites in urbem advenerant, tamen, seu malignitate sua, seu regis imperio jam de Florentinorum fortuna desperantis, opem ferre obsessis negabant: eum esse rerum statum causati, ut caeteris omissis, abunde foret si in civitatis custodia perstitissent. creditumque, si eorum pertinacia vinci se passa esset, solvi obsidionem potuisse: castrucciano exercitu tot laboribus fesso; hiemisque asperitate cunctis circa gelu ac nive rigentibus. Quare oppidani, arctioribus in dies rebus, nullaque jam subsidii spe; muris jam, aut tormentorum ictibus laxata compage, aut cuniculo subrutis, pacto ut incolumes abire liceret, se tandem victori dedidere. magno Florentinorum pudore damnoque: quippe inde tamquam ex tuto in florentinum pratensemque agrum excursiones crebrius fieri coeptae. Castruccius oppido potitus, refectis muris turribusque, arce etiam novis operibus munita, validum praesidium imposuit. Dum Murlum obsidet, Castruccius interim minime cessandum ratus, Clavellum Stro-

ziorum arcem, Turrimque ad Puligianum, quae Pacciorum juris erat, vi expugnavit evertitque, qui in earum praesidio erant caesis. tum Florentinorum terrori augendo, CC. equites sub ipsas civitatis portas subjre jussit. quorum audaciam, indignitate rei mota, cum Belgarum equitum ala ferre non potuisset, eruptione facta, majore animo quam consilio pugnam adorta, cum nemo suorum sequeretur, nostrorum impetu repulsa, ac male multata propere in urbem rediit. Cujus pugnae infelici exitu, cum in urbe tumultuatum foret, signoque dato cives ad arma concurrissent, apertis portis supra DCCC. equites, cum innumera populi multitudine Septimum (locus prope urbem est) usque processere: inordinati et inconditi, ut ira magis pudorque, quam militaris disciplina suadebat. quorum numero Castrucciani impares, Signam sine ulla belli offensione se recepere: hostibus sub noctem cursu, ac labore fessis in urbem reversis. Constat etiam hostium confessione (1), si eo die Castruccius cum quingentis equitibus in insidiis stetisset, omnes eas copias deleri, civitatemque capi potuisse. His malis, quae maxima

(1) Vill. lib. 9, c. 328.

omni retro, quaeque post illa sequuta est aetas sensere, Florentini oppressi; cum Signa capta, Murlo obsesso ac dein occupato florentini agri claustris, direpto incensoque agro, quotidie tam validum hostem moenibus suis insultare impune cernerent, omniaque in metu ac pavore esse, nec sibi animos minus, quam sumptum in bellum suppetere: cuncta hosti prospera ac felicia, sibi adversa ac infortunata evenire; retinendae reipublicae desperatione ad ultima consilia versi, in decem annos imperium Carolo, Roberti regis filio, regique mox futuro permisere, iis legibus, ut bello quod cum Castruccio ac Lucensibus gerebatur conficiendo, cum exercitu praesens adesset. quanto tempore Florentiae fuisset, CC. aureorum millia annua, aequis pensionibus in singulos menses ex aerario caperet. confecto bello praefectum in urbe cum CD. equitum transalpinorum praesidio relinqueret, centum millium stipendio: sumptusque advenienti recedentique e publico praestarentur. Cum hoc decreto quinque legati Neapolim missi, qui regium juvenem Florentiam adducerent. Haec eo anno gesta (1). Initia insequentis, Murlo demum VI. Id. ia-

(1) Ann. 1326.

nuarii per deditionem recepto, felicia Castruccio fuere. Florentini dum legati ad Carolum proficiscuntur, dum expeditio in Etruriam bellumque adornatur, armorum imperium Petro Narsio detulere. Erat is gente Gallus, Barii ad Rhenum nobili loco natus, qui fatis ducentibus, e sacra Hierosolymorum peregrinatione Florentiam advectus, septimo post quam advenerat die praelio ad Topalsium interfuerat: filioque cum multis suorum amisso, ipse vivus in Castruccii potestatem pervenerat. Ab eo dimissus, dum suae sortis ignarus victae gentis imperium capit, auctor sibi supremi exitii extitit. Hic praefecturae suae nobilitandae, id unicum ratus, si ab eo cujus captivus fuerat victoriam expetisset; non capta modo oppida, sed vitam quoque illi eripere statuit: sed cum parum armis fideret, ad artes conversus, clam cum quibusdam externorum militum praefectis agere coepit, quos transalpinae originis cognatione fidos sibi futuros credebat: nec spes eum fefellit. inventique duo Galli, unusque Britannus, qui Castruccii interficiendi partes sibi sumpsere. Verum perpetua illius felicitate id quoque periculum discussum: consciique ejus sceleris comprehensi, ac supplicio affecti. Dicitur Castruccius diu cunctatus, an noxios morti addiceret, gnarus

quam grave transalpinis gentibus esset, suorum ducum licet reorum, supplicium. Verum magno aliquo exemplo continenda militum ingenia ratus, animi fortunaeque suae fiducia, in conspectu totius exercitus nudatos, vinctisque post tergum manibus, securi percuti jussit. cunctis vultus ferocia, trucique oculorum aspectu attonitis: et tamquam injecturum singulis manus respicientibus, si quis mutire, aut hiscere ausus esset. Verum suppressus metu dolor, secreti libertatem nactus erumpebat: passimque per circulos, ac militum contumelia, iniqui de Castruccio rumores erant. « hanc » meritis ipsorum gratiam referri post tot la» bores ac vulnera: vilesque jam haberi per » quos toties vicisset. Sanguinem qui gladiis ho» stium superfuerit, carnificis manu fundendum. » nec mortem satis esse, nisi infamia proditio» nis, violataeque fidei dedecus universae genti » haereret. » quod ubi Castruccio cognitum, adversus licentiam militarem invictus, magnam transalpinorum partem dimisit, novis suppliciis consternationem militum augendam minime arbitratus. Narsius prima spe dejectus, non tamen animum despondit. corruptisque aliis, qui ad Signam erant, praefectis; cum CD. equitibus, III. Kal. februarias eo iter intendit. Sed opinione frustratus, eadem die Florentiam in-

glorius reversus est. Movit ea res Castruccium, illoque statim profectus, septem e numero praefectorum, quorum suspecta fides, Pistorium secum abduxit: ingenti in Narsium ira, quem latrocinio potius quam justo bello, in animam vitamque suam grassantem, meritis poenis, si unquam vivus in potestatem venisset, destinabat. Interim injuriae ulciscendae cum DCC. equitum, duum millium peditum manu (tantus illi hostium contemptus) in loca ad Pesam flumen transgressus, turres oppidum ante direptum flammis absumpsit. Inde Cassiani fanum adortus, continentes oppido vicos incendit: lateque agris vastitate illata Signam impune se recepit: cum Narsius obviam egressus, relicto campestri itinere per tumulos copias duxisset. quare nec dum hoste conspecto, sub noctem Florentiam inani labore confectum militem reduxit. Qua ducis inscitia Castruccius audacior factus, triduo post eodem contemptu, cum DCCC. equitibus, tribus millibus peditum, sub urbis moenia, Peretulam usque, se se ostentavit. Mox Signam reductis copiis, ingentis operis conatum adortus, Florentiam aquis obruendi impetum coepit, objectis molibus, qua ad Gulphulinam rupem in arctas fauces Arnus compellitur. Sed cum per libratores talium rerum peritos, cursum

aquarum ab egressu urbis, centum quinquaginta cubitis depressiorem cognovisset, desperatione operis ab incepto destitit. Signam quoque, ubi Neapoli Carolus cum exercitu advenisset, retineri posse diffisus, salubri consilio eversam flammis delevit: pontemque Arno impositum solvit, seque Carminianum recepit. quod oppidum novis operibus munivit, fossa valloque cinxit; signinis florentinisque exulibus ei praesidere jussis: quippe futuri belli sedem loci opportunitate destinaverat. Nulla Florentinis respirandi facultate data, cum Castellinam ad Gretim, Frescobaldorum proditione obtinuisset, omnem circa regionem vastavit; Vincio, Cerreto, Victorino eadem clade affectis. inde Arno trajecto, paria in Emporienses ausus, Petrorium arcem illis imminentem obtinuit: praesidioque imposito, ex ea in subjectos agros excurrendo, multum temporis totum eum tractum infestum habuit, donec retinendi difficultate incensam solo aequavit. His cladibus Florentini attriti, aliis atque aliis nunciis regium juvenem urgebant. « omnia » pene in hostium potestate esse, agros villas» que flammis ardere. oppida alia capta, alia » ruinis deformia. Urbem in ultimo metu esse: » ni mature subventum sit, quos tueretur mi» nime inventurum. » Sed cum inter siculi belli

apparatus aliae curae Carolum distinerent, ne interim periclitantibus sociis deesset, Gualterium Brennam, quem Athenarum ducem appellabant, cum CD. equitibus misit, qui nomine suo florentinae rei praeesset. cui et regius sanguis unde illi origo, et nuptiae, quibus regali domui innexus, favorem conciliabat. Narsius, ne frustra in imperio fuisse videretur, claro aliquo facinore adventum illius praevertendum ratus, ad solitas artes confugit: cumque praefectis Burgundis, qui in Castruccii exercitu erant, consilia inire coepit, Carminianum proditione occupandi. Illi per simulationem fidei vano homine illecto, Castruccio cuncta ordine aperiunt: tum recenti sociorum exemplo territi, tum pudore, ne gallicum nomen proditionibus infame per Italiam traduceretur. Is laetus, oblatam sibi occasionem, odia in infensum invisumque explendi, eadem simulatione, qua instituerant, praefectos agere jubet; certamque diem, qua advenienti tradituri oppidum sint, condicere. ad praedictam diem quadringentos equites, magnumque peditum numerum, qua Narsius transiturus erat, pluribus locis in insidiis locat: tacitosque signum expectare jubet. Narsius arcanum prodi veritus, nulli communicato con-

silio, cum CC. equitum ac D. peditibus Prato profectus, Umbronem trajicit, et Carminianum pergere instituit. Ubi satis eum processisse visum, extemplo edito signo, qui in insidiis erant omni ex parte coorti, medium circumsistunt. Fraude sero intellecta, cum jam nullam evadendi spem, nec alium nisi honestae morti locum videt, suos adhortatus, ut in castruccianos magno impetu invectus, primam aciem fudit: sed cum fessis alii atque alii integri succederent, egregia edita pugna vivus capitur, unaque cum illo nobiles duces Annaeus Gubertus, et Utassus Gallus in potestatem nostrorum venere. capti praeterea undecim equestris ordinis, XL. e Gallorum scutatorum cohorte, ac major fere peditum pars, ut quisque caedi aut fugae superfuit. Id ubi Florentiam nunciatum, quamquam tot adversis duratis animis, magnus universam civitatem moeror incessit: praecipue cum postridie de Narsii supplicio nuncii advenere; quippe Castruccius in conspectum adductum, exprobrata perfidia, qua contra sacramenti religionem, quo se cum dimissus est obstrinxerat, non arma modo contra ipsum tulerat, sed etiam ejus vitae insidiatus erat, Pistorii in medio foro securi percuti jusserat. plerisque in omen

trahentibus, quasi non victi modo, sed capti alter super alterum duces, summae reipublicae, capitique exitium portenderent.

Perditis Florentinorum rebus, spem aliquam afferre visus est Athenarum reguli adventus; qui triduo post Narsii casum, una cum conjuge, ac quadringentorum equitum manu urbem intravit. magna laetitia exceptus, ignaris rerum una cum illo salutem fortunamque sibi advenisse ratis. Auxit eam spem Joannis Ursini praesentia, quem e purpuratorum collegio a Joanne pontifice pacandae Etruriae missum, Pisas cum quinque triremium classe advectum per idem tempus constabat. Nec minor inde fiducia, quod quadringenti equites ex Gallia provincia cum X. triremium classe auxilium laturi Telamonis portum intraverant. quare Castruccius de integro bellum sibi oriri cernens, sive fortunae longo felicitatis tenore jam fessae modum imponendum; seu vana pacis spe ludificandos hostes ratus; literas ad pontificis legatum Pisas in hanc sententiam dedit. » Se, quamquam prospero fortunae cursu tam» diu usum, ex praeteritis futura conjiceret; » tamen summi sacerdotii reverentia, a pacis » consiliis minime abhorrere, si Florentini suis » contenti, cupiditatem manusque ab alienis » abstinere potuissent. et vero calamitate do-

» ctos discere potuisse, malum sibi ultro ab
» ipsis accersitum; dum elati animis, superos
» hominesque juxta infensos sibi reddidissent.
» se non nisi injuriis lacessitum arma in eos ce-
» pisse; quorum, quam justa causa, tam fe-
» lix exitus fuisset. nec tam potentis populi
» fortunam, externa vi tanta clade affligi po-
» tuisse, nisi ipsum prius sua cupiditas, sua
» superbia vicisset. nunc quando ita summo
» generis humani parenti visum sit, se cladibus
» modum positurum, si illi ambitioni, ac do-
» minandi libidini posuissent.» Haec, seu vere, seu falso jactata, spem legato injecerant, posse pacem conciliari, cum et victori honorifica, et victis necessaria esset. Sed sive ea Castruccii simulatio fuit, ut tunc vulgo creditum; sive Florentinis ulciscendi tam acerbum hostem tempus advenisse existimantibus; cum praecipue Carolum cum novis auxiliis adventare fama esset, omne pacis consilium discussum: curaeque utrinque ad novi belli comparationem adjectae. Inter haec, regius juvenis, cum magno procerum comitatu, Senis qua in urbe componendis inter Salimbenos, Ptolemaeosque discordiis aliquandiu substiterat, Florentiam III. Kal. augusti pervenit: tanto honore gaudioque ejus populi exceptus, quanto neminem antea regum caesarumque constabat: Florentinorum fiscis,

quamquam tam longo bello exhaustis, in immensum, qui faciendus erat, sumptum sufficientibus. Nam praeter regiam cohortem, ingens nobilium, equestrisque ordinis numerus, qui ex Gallia, Cantabria, paternoque regno Carolum prosequebantur; externorumque equitum ad duo millia in urbe erant: quibus una cum legato pontificis, ejusque comitibus, sumptus e publico praebebantur. Carolus, quem ab ejus provinciae dominatu Calabriae regulum appellabant, paucis diebus ad quietem datis, adito civitatis imperio, omnes cogitationes in bellum castruccianum intendit: itaque conscriptis legionibus ex civitate agroque, quantum ex populo praeteritis cladibus attrito redigi potuit, missi qui sociarum gentium auxilia ex foedere reposcerent. ex iis Senenses CCCL. equites misere, a Perusinis CCC., a Bononiensibus ducentorum manus submissa, ab Herbano (1), Faventiaque, cui Manfredi imperitabant, alii ducenti advenere. missique a Rogerio comite pedites trecentorum numerum explebant. Mox in belli sumptus, LX. aureorum millia civibus imperata. Tantis belli apparatibus opportunitas accedebat, videbaturque for-

(1) Orvieto.

tuna ipsa victoriae iter sua manu sternere. Nam Castruccius praeteritis laboribus valetudine affecta, in tanto rerum articulo gravi morbo implicitus decumbebat: quasi constrictum victumque superi eum hostibus dederent. Sed consueta felicitate, quae pro illo pugnabat, tanta belli moles in irritum rediit. cum constans eorum, qui interfuere opinio fuerit; si primo reguli adventu in lucensem agrum impetus factus esset, non debellari modo; sed et vivum capi acerbissimum Florentini nominis hostem potuisse. Causas, ut in magnis inopinatisque eventibus solet, alii alias ferebant. Quidam Roberti regis jussu id factum dicere, quod omnes Etruriae, Galliaeque Cisalpinae ghibellinarum partium populos regulosque, in Castruccii auxilium venturos fama erat. Alii Florentinos in mora fuisse affirmare, qui tot collationibus, impendiisque fessi nova tributa aspernarentur. quodque vulgo magis creditum, in artes Castruccii culpam a plerisque conferri, qui falsae pacis mentione, donec accitis undique auxiliis, rem suam confirmaret, legatum regulumque detinuisset. Neque id obscure legati ira ostendit. Nam cum fraude secum actum cerneret, iterum diris Castruccii caput devovit; bonaque ejus diripienda cuique concessit: qui ei studio, aut ope favissent reli-

gionis hostibus judicatis. eadem severitate Arretinorum antistite, ghibellinorum in ea Etruriae parte duce, ac tum Castruccio maxime fido, proscripto, ac sacris honoribus exuto. Interim dum bellum conquiescit, Florentini Signae reparandae animum adjecere: experti quanti reipublicae eorum stetisset, id oppidum in Castruccii potestate fuisse. quippe eo amisso, nec arari aut seri subjectus ager potuerat: isque hosti receptus ad excursiones faciendas, totiesque ipsis urbis portis insultandum extiterat. Itaque novis moenibus oppidum circumdatum, licet incendio ruinisque deforme: concessaeque immunitates, qui eo domicilii causa migrare, aedesque construere voluisset. Sed ea cura praecipue angebat, quod tanta impensa, libertatisque jactura accitus dux per socordiam inertiamque inultum Castruccium esse sineret: ipsi interim, sumptu in militem faciendo, in dies attererentur. Quare iniquis rumoribus reguli fama in omnibus conventibus conciliisque differri. « frustra eum cum exer-
» citu advectum, si tantum fruendae domina-
» tioni, spectandoque reipublicae funeri adve-
» nisset. tertium jam mensem in Etruria esse,
» nec adhuc publice privatimque, nisi in ipso-
» rum fiscos bellatum. emissum per summam
» stultitiam hostem e manibus, quem valetu-

» dine, tamquam vinculis illigatum superi ob» tulissent.» Gnarum id regulo, (quippe populari licentia ea palam jactata) quare ei opinioni abolendae, tandem in Castruccium ire statuit. Erat eo tempore apud Canem Scaligerum Veronae, Spinecta, quem a Castruccio omni fortuna spoliatum supra memoravimus. illum Castruccii odio imbutum dominationisque recuperandae avidum, regulus ad inferenda illi arma incitaverat: ut dum alter e lunensi provincia, alter a sua parte hostem aggreditur, ancipiti bello distraherent. Spinecta ea spe erectus, cum DC. equitibus, dimidium quorum reguli pecunia comparaverat, ducentos legatus pontificis submiserat, centenos Scaliger hospes commodarat, per Apennini juga lunensem provinciam ingressus, ad Verrucam, quod oppidum ei Castruccius ademerat, castra posuit. Eam ad rebellandum occasionem amplexa duo in Pistoriensium montanis, ad Limam flumen prope Lucensium fines oppida, instinctu exulum guelphorum, Cavinianum nempe, Mamianumque a Castruccio defecere. Is, quamquam valetudine nondum plane ex praeterito morbo confirmata, omisso Spinecta, ut paucos ante annos fecerat, ad ea oppida recipienda copias submisit, arctaque obsidione, munitionibus circa extructis, valloque circumdedit. Ipse cum ma-

xima equitatus parte Pistorium contendit, ut regulo Florentinisque, ne succurrere obsessis possent, iter intercluderet. Illi quamquam rem inconsultis ipsis gestam ab initio non satis probassent, tamen quia a rebellibus appellati auxilium spoponderant, ne fidem deserere viderentur, e Germanorum turmis CC. equites, quingentos praeterea pedites, duce Blasio Tornaquincio submisere. Sed cum per altos praeruptosque montes eunti alibi a castruccianis praesidiis occupati, alibi praealta nive obsessi calles transitum prohiberent; milite frustra vexato, reverti cogitur: praecipue, ut locorum naturam expugnasset, obsidentium numero longe impar futurus. Regulus ea spe dejectus, omnes fere copias, ad duo equitum millia, ingentemque peditum vim Pratum procedere jubet. e quibus Thomas comes Scyllacensis, CCC. equitum, mille peditum manu secum assumpta, Americo Donato et Janocto Cavalcantio praefectis Florentinorum prosequentibus, ad opem obsessis ferendam, juga montium ascendit: reliquo exercitu sub ipsa Pistorii moenia interim se se ostentante: qui deinde castris ad Montale positis, triduum eo loco stativa habuit. Quo tempore tanta ventorum procella super immensam aquarum niviumque vim coelo repente delapsam, desaeviit, ut nec tentoria

statuta consistere, nec convulsa statui iterum possent: omnia rapiente ac perscindente vento. Quare tres dies nimbis ac hieme saevissima conflictati, retro concessere: Castruccii felicitatem execrantes, pro quo venti tempestatesque pugnarent. constat si tunc Pistorii Castruccius fuisset, haud dubie magnum discrimen adituros; adeo nullo militiae ordine, palantes solutis ordinibus recessere. Castruccius nullo hiemis niviumque respectu in montanos profectus, arctioribus custodiis saltus munivit, ut omni commeatu obsessos intercluderet. quique Florentinorum militum eo penetraverant, tum saevitia tempestatis, tum deficientibus alimentis, nec ultra consistere, nec abire tuto poterant: Castruccianorumque praesidio cunctis montium itineribus occupatis, parum abfuit, quin ad unum omnes caperentur. Et ne sic quidem se se, nisi aegre expediere: per abrupta rupium, deviosque calles in agrum bononiensem delapsi: multis equorum jumentorumque ac sarcinarum in fuga relictis, quae praeda nostrorum fuere. oppidani omni auxilii spe accisa, una cum militibus, qui in praesidio erant, per tenebras tentata fuga, plerique capti caesique, vacua oppida victori reliquere. Castruccius victoriae cursum prosequendum ratus, Pistorium Lucamve minime

rediit; sed ut animi, ita corporis robore invictus, ducto per feroniensem provinciam Apenninique dorsum exercitu, lunensem oram ingressus, prohibendis e Gallia Cisalpina Spinectae commeatibus, juga montium insedit. Verum Spinecta, ad primam Castruccii famam, non expectato illius adventu, trepida fuga Apenninum transgressus Parmam se recepit: quid sibi capto patiendum foret, haud ignarus. Quippe Castruccius vivo pellem detracturum, si in potestatem ejus venisset, juraverat. Castruccius fugato hoste, ne munitionum praesidiis exercitum carpere cogeretur, plerasque in lunensi tractu diruit: Montali quoque in Pistoriensi, ac Falconio ad Guissianam flumen eadem causa solo aequatis. dictitans veras munitiones esse, quae moveri loco, unaque die multa passuum millia conficere, et qua opus esset transferri possent. praecipuas ducum vires, non in locorum situ, atque operibus, sed in militum numero ac virtute positas arbitratus. Quibus peractis, Lucam cum ingenti gloria regressus, in morem triumphantis, totius urbis laetitia exceptus est. hostium vero exercitus infectis rebus cum ignominia domum rediit. Hunc exitum habuit prima calabri reguli expeditio, ut temere suscepta, ita improspere gesta: magno Florentinorum moerore quibus,

toties mutatis ducibus, eadem fata incumbebant: ut prope jam retinendae reipublicae, adversus tantam virtutis fortunaeque conspirationem novissima desperatio incesseret. nec Florentinos modo, sed etiam universos Italiae populos regulosque, ac praecipue Robertum regem perpetua Castruccii fortuna terrebat. Quippe ab eo, qui Lucam paulo ante tenuisset, infelici ad Catinum praelio frater fratrisque filius interfecti in oculis erant: quantumque Castruccius et consilio et belli artibus Ugutioni praestaret animo reputans, cui periculo filium objecisset magis magisque in dies cernebat. quem longa regum serie ortum, regemque mox futurum, in eo discrimine versari, ut vel interfectus clade sua iterum Tusciam nobilitaret, vel acie victus captusque, privati hominis arbitrium pati cogeretur. Quare ut is tutior esset, octingentos equites, novum subsidium ex Gallia Narbonensi, alioque ad Rhodanum tractu se auxilio missurum, Florentiam scripsit: in quos si Florentini sumptum facere recusassent, tum filius Etruria excedens in paternum regnum se reciperet. Id vero acerbum Florentinis visum: qui super belli clades tot impensis attriti, novis insuper collationibus, praeter foederis leges exhaurirentur. Verum saevitia temporis coacti XXX. aureorum millia da-

turos inviti spopondere. constititque ex publicis rationibus, intra annum vertentem a reguli adventu, nulla re gesta, in eum militesque ipsius supra CD. aureorum millia erogata. Quodque tot mala onerabat, obsolescente in dies magistratuum auctoritate, regulus omnia reipublicae munera paulatim in se vertebat. pronoque cursu ad solidam servitutem ibatur, cum nec senatum cogi, nec magistratus pro collegio coire liceret, quin publicis consiliis e reguli latere datus arbiter paedagogusque interesset. Hi Roberti regis conatus, qui praeter Galliae provinciae dominatum maximaeque, ac pulcherrimae Italiae partis, cui imperitabat, jam per Etruriam validus: plurimum etiam Romae ac in Liguribus guelpharum partium studio poterat; ghibellinae factionis regulos, gentesque moverant. Quare ut ipsi quoque magnum aliquod nomen ejus potentiae opponerent, Ludovicum Bavarum, qui imperium sibi asserebat, in Italiam evocandum decrevere: praeter insitum iis, qui romanum imperium ad eam diem tenuissent ghibellinarum partium favorem etiam privatim pontifici Robertoque iratum, a quibus imperio arcebatur. Itaque per initia insequentis anni (1), legatos ad eum misere,

(1) Ann. 1327.

qui Tridentum invitarent: ibi omnium Ghibellinorum legationes ex Etruria Galliaque Cisalpina praesto futuras, cum quibus de communi re ageret: ut primo vere ad bellum inferendum propulsandumve, cuncta in expedito essent. Interim Castruccius, ne otio torpesceret, Pisanis jam pridem iratus, arma iis inferre statuit: missoque Benedicto Lanfranco pisano exule cum CL. equitum manu, ad Vicum Pisanum occupandum, ipse cum caeteris copiis Topalsium contendit, ex rei exitu consilium capturus. Lanfrancus primo diluculo in oppidum proditione receptus, ex eorum temporum more per vias tamquam victor discurrit, Castruccii Lucensiumque nomini fausta acclamando. Quibus vocibus oppidanis excitis, cum ad arma undique procursum esset, castrucciani cum Lanfranco, quinquaginta suorum amissis oppido pulsi. Neque Castruccius infelici conatu cognito ultra tetendit. Nam et calaber regulus per idem tempus Novellum comitem in agrum pistoriensem cum DCCC. equitum manu immiserat: qui usque ad civitatis muros obequitando, munitionibus ante portam eversis, late regionem circa Buram amnem vastaverant. Quare, ne simul cum gemino hoste res esset, Pisanos dimisit: totis belli curis in Florentinos versis. a quibus dum paulisper cessatur,

exules Genuensium Castruccii auxilio Segestam primo, deinde Herculis Monoeci portum arcemque obtinuere. Inter haec februario mense Bavarus Tridentum, in Germaniae Italiaeque limine situm pervenerat. descendenti ex Alpibus Canis Veronensium regulus cum DCCC. equitibus occurrit: certatumque obsequio a caeteris regulis: e quibus Passerinus Mantuanorum, Actius et Marcus vicecomites Mediolanensium, Guido Tarlatus Arretinorum antistes, ac e regulis Atestinis quidam: nec non Pisanorum Genuensiumque exulum, ac Friderici Siciliae regis legati affuere. Castruccius quominus praesens adesset, bello prohibitus, et ipse ad occupandam gratiam, qua deinde caeteros anteivit, legatos misit, qui èjus nomine caesari adventum gratulati, Lucam illum invitarent. Ibi sacerdotum conventu habito, in quo per nefas multa in Joannem pontificem decreta, foedus inter Ghibellinos Bavarumque ictum; quo is in Italiam Romamque venturum; hi contra milites pecuniasque in eam expeditionem spopondere: e quibus centena quinquagena aureorum millia, ubi Mediolanum intrasset, praesentia numeraturos. Foederi utrinque sacramenti vis addita. Pisani religione in speciem moti, tamquam pontifici gratificarentur, nominatim foederi adscribi negavere; clam

pecuniam et auxilia polliciti, modo Pisis abstineret. ea simulatione apud neutrum quaesita gratia. Bavarus festinatis itineribus per montium juga Novum Comum, inde Mediolanum III. Id. martii pervenit. ubi antiquo caesarum more arretini antistitis manu, (cum mediolanensis, cujus eae partes essent, id officium absentia vitasset) ferrea corona in ambrosiana basilica insignitus est. qua in urbe usque ad pridie Kal. augusti, colligendis pecuniis, auxiliisque ad romanum iter substitit. Florentini Bavari adventu trepidi, antequam Castruccio conjungeretur, in quo omnem salutis, exitiique sui cardinem verti existimabant, praevertendum rati, proditione Castruccium Lucae dominatu dejicere aggrediuntur. Quartigianorum gens, quos deinde Diversos appellatos ferunt, per ea tempora, divitiis potentiaque, ac numero maxime florens in urbe erat: stirpe in plures familias propagata. Ea Guelphorum partes olim sequuta, mox desertis iis ad Ghibellinos transierat: maximumque Castruccio adjumentum ad dominationem extiterat. Hi, sive castruccianae potentiae invidia, sive pulcherrimum facinus liberatae patriae familiae suae decorum rati; sive, quod magis tunc creditum, calabri reguli, ac Florentinorum auro corrupti, clam cum iis prodendae civi-

tatis consilia iniere: Guerruccio principe totius gentis, quem caeteri sequebantur auctore. Ita comparatae erant insidiae, ut regulus cum exercitu ad Pistorium castra poneret; quo ubi Castruccius cum copiis solvendae obsidioni profectus esset, conscii sublatis pontificis maximi, regulique vexillis, quae multa clam Florentini submiserant, per urbem discurrendo, male Castruccio Ghibellinisque, fausta pontifici Guelphisque ominarentur: unaque portarum occupata, ea Florentinorum copias, quae ex Phocensibus, omnique ad Arnum regione ad eam famam superventurae erant, in urbem immitterent. Sed dum segnius quam par est regulus expeditionem molitur, quidam ejusdem gentis, seu levitate ingenii, seu tamdiu sileri posse rem diffisus; quod alii facturi videbantur, ipse exequi statuit. itaque occupare indicio gratiam festinans, cuncta ordine ad Castruccium detulit. Is, alias in ejusmodi casibus fortunae suae conscius, nihil animo fractus, claudi repente portas armarique militem jubet. Tum conscenso equo, armatorum medius per urbem discurrit, cunctis rei novitate attonitis: comprehendique Quartigianos jussit. capti duo supra viginti, inter quos Guerruccius; quem statim e furca cum tribus liberis magno omnium terrore, suspendi imperavit; simul

cum eo vexillis Florentinorum, inverso capite ad ignominiam suspensis, quae ad centum domi illius reperta. Alii saevo exemplo, atque a Lucensium moribus valde abhorrente, capite in terram defosso (1) miserrimo lethi genere necati: ii quos suppliciis levior culpa exemit, (centum fuisse constat) urbe, agroque pulsi; bonaque eorum publicata. Majore profecto misericordia futuri, nisi deserta veterum partium fide, se se Ghibellinis Castruccioque adjunxissent: ab eo demum oppressi, quem antiquis sociis contra jus fasque praetulerant. Quo tempore cum a quibusdam argueretur, quod jam ante cum Podiis, modo cum Quartigianis veteribus amicis se ita gessisset, Castruccium dixisse ferunt, se ea non in veteres amicos, sed in novos inimicos statuisse. Quamquam feliciter adeo discussa conjuratione, exactisque ad terrorem caeterorum suppliciis; tamen anxium Castruccii animum ea res habebat: cum eodem tempore, et cum hostium armis, et cum odiis suorum certandum esset, intenderatque curam, quod quaestionibus habitis, latius quam pro opinione eam labem manasse repertum erat. Quippe nobilitas, sive laboribus,

---

(1) Propaginati, Villan. lib. 10, c. 25.

sumptuque in bellum attrita; sive libertatis desiderio dominum etiam clarum victoremque aspernabantur. Itaque animi incertus, nec in urbe subsistere cum hostis extra lacesseret; nec egredi civilium insidiarum metu audebat. Quod unum, et comprimendis hostibus, et firmandae dominationi supererat, ad Bavarum versus, ejus in Tusciam adventum urgere coepit. Nec clam regulo Florentinisque erat, omnem Ghibellinorum spem in Bavari adventu sitam. Itaque dum ille adhuc insubrico auro corradendo moraretur, Castruccium novissima conjuratione adhuc trepidum, antequam novis viribus convalesceret aggredi, optimum visum. Sed palam tentare alias parum tutum experti, arte ac insidiis arcem aliquam occupando fallere instituunt. igitur regulus parte copiarum retenta, Beltramo comiti octo peditum millia, ac mille ducentos externorum equitum cum occultis mandatis, ne quid ad hostem permanaret, tradit. Hanc aciem centum e primoribus civitatis, tam e patriciis, quam e plebe sequuti; quorum unumquemque bini ternive in equis comitabantur. Antequam miles urbe exiret, simul capiendis auspiciis, simul ostentandae rei, in Crucis foro ante legatum pontificis cohortes turmaeque traductae. a quo cum faustis precationibus ominibusque dimissae Flo-

rentia VII. Kal. augusti ad Umbronem fluvium prope Signam primis castris consedere. Ibi stativis triduo habitis, demum per tenebras profecti, castris tabernaculisque in speciem ad multam diem relictis, ne hostis discessum sentire posset, festinatis itineribus Lupum, inde Guissianam fluvium petiere: quem injecto clam ponte transgressi, circa meridiem ad Mariae fanum castra locavere. His copiis CD. equites, qui regioni ad Arnum praesidebant adjuncti: praeter CCCL. equites, quos Virginio Landa duce Bononienses, aliique sociorum submiserant. Quare altero die qua ad Guissianam perventum, supra XII. millia peditum, ac bis mille et quingentos equites in exercitu Florentinorum fuisse satis constat. Neque tantus in unius oppidi oppugnationem apparatus ex supervacuo fuit. Nam et in edito monte situm, et triplici muro circumdatum erat: praeter munitissimam arcem quae in summo eminebat. tum alimenta in longam obsidionem Castruccius congesserat: quare una ratio supererat, propugnatores multitudine fatigandi, dum alii atque alii oppugnatorum integri, paucis fessisque succedunt. Nam pro caetero apparatu, praesidium, quamquam virorum robore validum, numero impar erat; haud ultra quingentos in custodiam loci relictis. Nam Ca-

struccius ad primam moti exercitus famam, veritus ne se eo hostis verteret, Carminianum inde ducentos e lectissimis equitum ire jusserat. Florentini praesidianorum militum praefectis in colloquium evocatis, percunctatique an sponte deditionem facere vellent, ubi eos ad tolerandam oppugnationem obstinatos vident, oppidum simul a pluribus partibus aggrediuntur. Primam munitionem oppugnare adorti equites ex equis desilientes, elatisque super capita scutis adversus telorum vim, quae omnis generis ex alto ingerebantur, magna alacritate subire muros, complere fossas, scalas moenibus admovere. quod exemplum sequuti pedites, pro se quisque maxima ac memoratu digna edidere. Atrox utrinque pugna, ballistariorum praecipue virtute extitit; cum hinc inde in procellae modum, nullo intervallo, sagittae in adversos excuterentur. donec scutatum e Gallia provincia militem cum calabri reguli vexillo in muros evadentem, magno numero caeteris sequutis, oppidani primum spatium relinquere coacti, in alterum se recepere. Hostes nullo dato ad respirandum spatio, oppugnationem de integro adorti, eadem die secundam, tertiamque munitionem obtinuere: interfectis sine ullo discrimine quicumque in arcem refugere nequiverant. Nec

in tecta minus quam in corpora saevitum. Ardebat pluribus locis oppidum flammis, quas inter praeliandum milites injecerant, ut incolae a propugnandis moenibus ad rerum suarum curam averterentur. Nec minorem cladem transalpinus miles intulerat, invidia ne Itali praeda potirentur. eadem rabie, quibus illi pepercerant, Italis ignem subjicientibus; ne quid incorruptum avaritiae externorum superesset. Itaque qui oppidanorum secretis locis tecti ferrum vitaverant, flammis hauriebantur: eosque qui ignem fuga evasissent, iratus, tantorum laborum periisse fructum, miles excipiebat. Plura eo die ab exercitu Florentinorum edita crudelitatis exempla; quae incolarum proditione, quodque is locus Castruccio belli sedes, omniumque injuriarum in eos receptus, utcumque excusabantur. Qui in arcem confugerant, nisi intra certum diem a Castruccio auxilium submitteretur, deditionem pacti, ad praestitutum tempus victori se permisere: impotenti Florentinorum gaudio, non tam ob oppidi unius victoriam, quam quod mutandae fortunae initium fecissent laetis. Nec minor Castruccio inde moeror; quem haud perinde jactura, quam quod tam fortes fidosque socios deserere coactus esset, movebat. Nec difficile fuerat illi obsessis subvenire, cum ad

Vivinariam Clarumque castra haberet: sed majora animo complexus, dare se in aleam discrimenque belli, unius oppidi causa haud aequum censebat: praecipue Bavaro jam adventante; cujus opibus non amissa modo recuperaturum, sed Etruriae universae imperium adepturum sperabat. Florentini, recepto oppido, iterum Guissiana amne superato, in Phocensium planitie biduo stativa habuere: ut incertum hosti facerent, petituri ne lucensem agrum essent, an in Pistorienses concessuri. Mox trajecto propere flumine, ad Cerrulium prope Vivinariam Gallenamque in conspectu hostium locatis castris, triduum substitere: instructa acie, signorumque cantu Castruccium in praelium vocando, qui cum X. peditum millibus, octingentis equitibus prope tendebat. quod ubi frustra fieri intelligunt, callido duce non metu sed arte praelium detrectante, conversis signis domum revertuntur. Fuerat quidem animus Lucam aggredi: sed difficultate operis, cum et largis commeatibus, et immensa pecunia in eam rem opus esset, omisso incepto, tota belli moles in parvum oppidum versa. Ademerat paulo ante Castruccius Florentinis Artiminum; novisque munitionibus firmatum, insuper valido praesidio, congestisque in longum tempus alimentis munierat.

illud expugnare aggressis, triduo in obsidione perseveratum. demum corona captum. Praelium tamen atrox fuit; pugnatumque a meridie usque ad primas tenebras, multis utrinque caesis. Sed cum vallo portaeque injecto igne cuncta circa arderent, territi oppidani, pacto, ut incolumes abire liceret, se se dedidere. Neque tamen promissis constitit fides, multis abeuntium caesis vulneratisque. Artimino recepto, Carminianum Titianumque tentanda plerique suadebant: sed fama Bavari appropinquantis, quem Apennino superato Apuam (1) pervenisse certis nunciis afferebatur, tuta magis quam speciosa et ancipitia sequi cogebat. Itaque subductis Florentiam copiis, in bellum quod a tanto hoste imminebat, omnis cogitatio incubuit.

Caesari Apuam intranti Castruccius citatis itineribus ad eam famam profectus, praesto fuit cum magnificis donis, quae illi, augustaeque, prima gratiae tentamenta, traderet. tum largi omnis generis commeatus in militem advecti liberalem aeque ac fidum caesarianis partibus ostendere. Caesar Castruccii praesentia, de quo tanta ac tam magnifica praedicari audierat,

(1) Pontremoli.

laetus; tum corporis, tum animi vigorem, sermonum simul comitatem sapientiamque, ac numerum floremque militiae quam secum adduxerat contuitus, implere famam optime ratus, omnes spes suas in uno homine sitas facile intellexit. Apua digressum, Castruccius fanum usque Feroniae (1) lucensis agri oppidum, prosequutus est, eo animo, ut Lucam secum deduceret; ubi ad eum excipiendum omnia regio more comparaverat. Sed caesar ibi substitit, negavitque se Lucam venturum antequam Pisas intrasset. Pisani, quibus ad eam diem juxta periculosum tam amicos, quam inimicos caesares habuisse, nec dum exoleta Henrici memoria, qui ultimus ab iis stetisset; tum etiam pontificis maximi Roberti regis Florentinorumque instinctu Bavarum intra urbem recipere obstinate recusabant. Flectendis eorum mentibus Tarlatus Arretinorum praesul cum Librafactam in pisanum agrum venisset, postulassetque pro vetere amicitia, ut legati ad se mitterentur, cum quibus de republica ageret, sua caesarisque fide venturos redituros que pollicitus; missi e principibus civitatis Lemmus Guinisellus, Albitius Vicensis, et Jacobus Cal-

(1) Pietrasanta.

censis. Eos Tarlatus cum in omnem partem versasset, nunc spe, nunc metu, nequaquam tamen adducere potuit, ut caesarem intra urbem reciperent. Si Bavarus eam cogitationem abjecisset LX. millia aureorum civitatem daturam pollicebantur. Nec Pisanis tam caesar quam Castruccius timori erat: quem simul ac per Bavari obsequium in urbem accepissent, qua proferendi imperii cupiditate flagraret, de se actum existimabant, nil propius futurum rati, quam ut Bavarus, tam validi principis fidei obligandae, pisanam rem illi condonaret: tradito caesarum more, sua alienaque pro libidine juxta largiendi. Tarlatus sua spe destitutus cum legatos dimisisset, eos Castruccius Aesare superato intercepit, captosque contra jus gentium fidemque in custodiam dedit. Unde graves Arretini in Castruccium querimoniae, et coram caesare jurgium, alterius alterum incusantis. in quo cum antistes, violatae fidei proditionisque Castruccium acerbe insimulasset; iram ille non tenuit, mentirique eum, ac vere proditorem esse affirmavit: cum post praelium ad Topalsium per eum stetisset, quominus Florentia caperetur, nonnisi sero ac maligne submissis auxiliis. Cumque caesar favere Castruccio magis visus esset, Tarlatus injuriae impatiens, missione impetrata, dum domum redit,

aegritudine animi concepto morbo, in itinere extinctus est: poenis violatae religioni sacrisque, a quorum studio ad arma defluxerat, juxte exsolutis. expiatus tamen sub mortem dicitur, magna licet sera praeteritorum poenitentia, veris lacrymis ostentata. Caesar, antequam Pisis de legatorum captivitate resciri posset, Castruccii suasu copias urbi admovit ad Michaelis fanum: alteraque die trans Arnum ad Marci vicum consedit. Castruccius ab ea parte quae Lucam respicit, positis castris, quantum a Legatia ad Aegidianam portam muri interjacet, suis copiis circumdedit: geminoque ponte ex ratibus ad utriusque exercitus commeatum, prohibendamque subsidiis urbem, infra supraque Arni ripas junxit. tribus equitum millibus, innumeraque peditum multitudine, praecipue ex lucensi agro. per circuitum disposita, cum etiam ex lunensi provincia Liguriaque omnes Ghibellinorum vires confluxissent. Nec levius pisanis ex civibus, quam ex hostibus bellum. Nam cum exules se se Bavaro Castruccioque adjunxissent, eorum opera intra paucos dies cuncta fere pisani agri oppida arcesque una cum pisano portu, ad intercipienda a mari subsidia receptae. His malis civilis discordia accedebat: iis, qui parum in republica poterant,

caesari ex invidia dedendam urbem suadentibus: aliis contra, quorum magnae opes, tolerandam obsidionem obnitendumque tendentibus. Horum princeps Fatius e Gherardesca gente: altera pars Vannem Banducii Boncontis, quem supra ab Ugutione falsis criminibus securi percussum memoravimus, filium caput praeferebat. Dumque prior sententia valuit, civitas strenue defensa: saepiusque ad portas ac circa moenia, dum vis infertur propulsaturque, ferociter pugnatum. perseveratumque in obsidione ultra mensem; incolarum animis ad obsistendum obfirmatis: quamquam et pluribus machinis moenia undique turresque quaterentur, cuniculoque suffossa muri pars ruinam minaretur. Addebant animum obsessis Florentini, regulusque Calaber, qui rogatu eorum pecuniam submiserat, ne cives collationibus fatigati, ad deditionis consilia inclinarentur. Verum Boncontes, sive ut tunc creditum, castrucciano auro emptus, sive patriae vi demum expugnatae excidium metuens, cum in consilio verba de pace ac deditione fecisset, ita animos inclinavit, ut ferociter a plerisque succlamatum sit, pacem se amicitiamque caesaris, nec incertos belli casus ultra experiri velle. Quare in eam sententiam factum senatusconsultum de urbe dedenda mis-

sique ad caesarem in castra oratores, qui has deditionis leges perferrent: Pisanos in urbem eum excepturos, ac LX. millia praesentia numeraturos, dum suis legibus vivere permitterentur, eaque reipublicae forma uti quae tunc esset: nec Castruccium exulesque recipere cogerentur. Caesar cui ut ea urbe potiri gloriosum, ita si infectis rebus obsidionem solvere coactus esset, nomen famamque suam obsolefieri cerneret, haud gravate se in eas leges Pisanos accipere juravit. Satis gnarus ubi in urbem receptus esset, eas ex utilitate servare aut solvere arbitrii sui fore. Itaque V. Id, octobris Bavarus cum augusta Pisas intravit, magno eorum, qui contra sensissent, nec minore Florentinorum luctu, omniumque, qui guelpharum partium studio tenebantur: Castruccio exulibusque extra relictis. Precipuus Pisanis a Castruccio ex conscientia metus; ne oblata ultione, quae ipsi crudelitatis avaritiaeque exempla, nuper capta Luca, edidissent, in eos verteret. Simul ingentes hominis spiritus noverant; verebanturque, ne si hospitem accepissent, dominum habere cogerentur: id quod evenit multo ante ominati. Bavarus vix triduum Pisis moratus, violatis foederis legibus, Castruccium intra urbem accivit: ejusque voluntati magis demerendae, quem praecipuum

tantae urbi obtinendae adjutorem habuisset, columenque fortunae suae nosset, Pisanos lunensem arcem, Rotarium Versiliae oppidum, Calbulum ac Feroniae fanum tradere ei jussit: centum millium praeterea tributo imperato; relictoque praefecto, qui pisanae rei ipsius nomine praeesset; quibus pisanae servitutis semina haud dubie jacta. Inde cum Castruccio Lucam profectus, triumphantis more, omni multitudine spectandi studio obviam effusa, urbem intravit: regio apparatu a Castruccio una cum conjuge principibusque exceptus. mox Pistorium ab eodem Castruccio deductus, atque inde usque ad Florentinorum fines: ostentatis ei opimis fertilibusque agris, totque circa florentibus oppidis, quae caesari praesentem praedam, sibi perpetuum fructum destinabat: inde Lucam reversi, III. Id. novembris diem D. Martino sacrum, lucensique urbi solemnem, ingenti laetitia celebravere. Quo tempore caesar, cui in dies, quantum in Castruccio rerum suarum momentum esset, magis dilucebat; ut eum sibi arctius obstringeret, solemni ritu lucensis urbis dominum creavit; quo reges inaugurari solent ritu, corona capiti illius imposita, jussoque regia clamyde indutum, phalerato equo per urbem inter faustas populi acclamationes insigni pompa vehi. Ad-

didit ei beneficio Pistorium, Lunam, Volaterras, Collem, Geminiani fanum Elsae flumini appositum: ut earum urbium, oppidorum agrorumque, caesareo legitimoque jure imperium obtineret possideretque, quo qui optimo, partim quorum jam possessione sua fecerat; caetera haud dubie, nisi fata illi finem festinassent, virtute et armis brevi facturus. Quoque beneficium suum Caesar cumularet, Antelminellae gentis insignibus adjectis, Bavaricae familiae tesseram, caeruleo alboque in aurea parma distinctum, deinceps eum ferre jussit. Nec Castruccius a caesare magnitudine animi vinci se passus. Nam illi L. aureorum millia; augustaeque ac proceribus, ut quisque plurimum apud eum posset, gemmas margaritasque ingentis pretii, dono dedit: etrusci regni spe, quam animo jam ante conceptam tum maxime alebat, divitis patrimonii loco sibi reservata. Caesar Luca excedens Pisas rediit. profectusque inde XVIII. Kal. januarii cum tribus equitum millibus, magnoque peditum numero, X. jumentorum sagmariorum millibus exercitum prosequentibus; ad tertium a Pisis lapidem, ad Remedii fanum, Castruccium opperiens, castra posuit. praemisso qui itinera occuparet, quibus transeundum erat, cum duobus millibus peditum, DCC. equitibus praefe

cto (1); utque commeatus in adventum exercitus compararet. Nectebat de industria moras Castruccius, aegre imperii sedem deserens: veritus ne quid Lucae aut Pistorii, Florentinorum fraude, eo absente turbaretur. Quare caesar sex diebus frustra expectando consumptis, aliis atque aliis literis nunciisque ab Roma sollicitatus, quibus si occupare urbem vellet maturare iter admonebatur, antequam Ursinorum Robertique regis factio convalesceret, XII. Kal. januarii cum exercitu profectus est: magna militum vexatione, ob asperitatem hiemis, imbresque immodicos, qui per brumam e coelo lapsi pedestre iter impediebant. Nec multo post Castruccius, ne spes suas prodere videretur, Lucae, Pisis, Pistoriique mille equitum praesidio cum fidissimis ducum relicto, eum ad Voltumnae fanum consequutus est, cum mille ballistariorum, lectaque trecentorum equitum manu. ingenti Bavari gaudio, nihil ardui magnique occurrere posse existimantis, quod Castruccii virtute solertiaque minime expediretur. Nec eum sua ratio fefellit. Nam cum Romae, ubi eum propinquare nunciatum est, exorto tumultu, alii tamquam

(1) Maliscalco.

Romanorum regem accipiendum; quorum principes erant Sarra Columna, Jacobus Sabellus, et Tibaldus Eustachius: alii contra, inter quos Ursini, arcendum excludendumque, ut pontificis maximi religionisque hostem, contenderent; nihil aptius visum, quam ut Castruccius iis turbis componendis, conciliandisque Bavaro Romanorum animis legaretur. Is ubi in urbem venit, senatusque illi in Capitolio datus, cum ea qua pollebat facundia, tum auctoritate, quam illi tot rerum gestarum gloria, clarissimique nominis fama conciliabat, facile persuasit ut caesar in urbem reciperetur. Constatque ejus praecipue sapientia ac dexteritate Bavarum a Romanis receptum. quamquam et aurum, multo verbis potentius, intercessisse Villanius auctor est, quo empta suffragia in eam sententiam consensere. Caesar, tum responso legati tum literis Romanorum excitus Voltumnae fano digressus, VII. Id. januarii insequentis anni (1) Romam intravit, summo honore laetisque populi acclamationibus exceptus: vulgo ad omnia immodico: primumque in Vaticano, mox in Exquiliis habitavit. Nec tantum versa in caesarem populi romani stu-

(1) Ann. 1328.

dia, quantum oculi animique omnium in Castruccium conjecti: privati hominis fama augusti fastigium premente. alii oris majestatem corporisque habitum decore trucem; alii militare robur, oculosque spiritus ac vigoris plenos, et quocumque se convertissent, studia amoresque hominum allicientes admirabantur. Sed praecipue in ore omnium erat rerum gestarum gloria, militia in antiquum splendorem restituta, actus romano more triumphus. illum esse qui florentinam rempublicam cladibus fregisset, dominumque externum recipere coegisset: quem caesares augustique colerent: quem post Alexandrum ac Caesarem, summum imperatorem omnis aetas tulisset: quique virtute fortunaque veteres Paulos Camillosque aequasset. Quae opinio etiam aucta, postquam praesentia, quae plerumque ingentes famas extenuare solet, auditis cumulate fidem fecit. Bavarus quoque cum Castruccio omnia deberet, majestati ejus augendae, Senatorem urbis, Legatumque suum (1) creavit. Quo tempore purpurea toga usum ferunt literis auro intertextis insigni; quibus praesentium futurorumque arbitrium a Deo optimo maximo pen-

(1) Luogotenente.

dere significabatur (1). Praetera equestrem ordinem illi contulit; suaque manu gladium lateri ejus suspendit, colloque aureum torquem injecit. Comitem quoque Lateranensem (cum is locus vacuus esset) fecit. cujus munus est, dum caesares inaugurantur, quoties id insigne capiti imponunt detrahuntque, diadema praebere aut excipere. Quibus dispositis demum postridie idus januarii ab Exquiliis triumphali pompa in Vaticanum progressus, insignia augustalia, quae a pontifice maximo caesaribus imponi mos est, Sarrae Columnae, Buccii Processi, Ursinique Ursini populi romani senatorum, ac praeterea Pontis e Monte Nigro equitis manu suscepit: a duobus antistitibus Jacobo pratensi, Nicolai cardinalis fratris filio, ac Aleriensi episcopo augustinensi monacho consecratus. in cujus facti memoriam Columnenses insignibus gentis coronam addidisse memoriae proditum est: quasi, ut quidam veterum scriptorum ait, praeclarum fuerit scelerate fecisse. Nec contentus Bavarus, se contra jus fasque augustum fecisse, majus nefas adortus (2), Joannem pontificem, Marsilii patavini praecipue suasu, quem ea aetas non minus doctum, quam

(1) Egli è quel che Dio vuole, e sarà quel che Dio vorrà.
(2) Leonard. Aretin. lib. 5.

impium tulerat, exautoravit, ac in ordinem coegit. quasi sacrosancta pontificum maximorum potestas, non divinitus, sed caesarum augustorumque beneficio collata esset: eosque inaugurare ac exaugurare mortalium arbitrio liceret. Utque scelera nunquam eodem gradu consistunt, quo coepere, ejus loco Petrum quemdam Corbarium, Minorum ordinem olim professum, et tunc a suis fugitivum subrogavit. quo facto non parum famam moresque suos laesit. princeps clari nominis, et si studia partium excipias, caetera egregius.

Dum haec Romae aguntur, Robertus rex Bavari in urbem adventu, multoque magis Castruccii, quem plus quam Bavarum metuebat, fatalemque Guelphis noverat, praesentia territus, finibus praesidio firmatis, cuncta ad bellum excipiendum necessaria strenue comparabat; ea causa Carolum filium ad tuendum paternum regnum ex Etruria revocaverat: magno Florentinorum dolore, qui Castruccio pridem infenso, et tunc viribus praesentiaque caesaris praevalido, praedam relinqui non occulte moerebant. Is V. Kal. januarii hujus anni Florentia digressus, Philippum Sanguinetum gente Gallum, qui loco ipsius reipublicae praeesset, cum mille equitum praesidio reliquit: caeteris copiis secum adductis. Re-

guli discessu Florentini haud dubia belli expectatione, moenia civitatis reficere aggressi; ab ea parte qua Senas Romamque euntibus iter est, unde omnis mali metus, novi operis muros portamque excitavere. tutioremque rem suam fore arbitrati, si alienas turbassent, laedendi Castruccium omnem aditum circumspiciebant: absentiam ipsius occasionem suam rati: unaque cum illo fortunam abfuturam. Nec sane expectandum ipsis diu fuit. Baldus Ciccus et Braccius Bandinus guelphae factionis Pistoriensium exules erant. hi ad Simonem Tosam profecti, ostendunt parvo negocio posse Pistorium ex improviso occupari. Fatalem illam Florentinorum cladem, pestemque abesse. ipsos praeter urbis situm, callere, quae stationes vigiliaeque, quove modo agantur. et si incautis superventum sit, parum opis in praesidiariis militibus futurum. Tosa multum collaudatos, ad Sanguinetum deducit. qui rem silentio premendam ratus, nulli Florentinorum communicato consilio, pontes trajiciendis equitibus, aliaque militaria instrumenta, quam occultissime Prati confici jubet. utque omnia in promptu esse comperit, uno Tosa secum educto, VI. Kal. februarias sub vesperam cum DC. equitibus clam urbe profectus, ante mediam noctem Pratum per-

venit: ubi duo peditum millia in armis, jumentaque scalis pontibusque onusta illum opperiebantur. Inde cum iis copiis, impedimentisque raptim summoque silentio iter aggressus, multo ante lucis ortum Pistorium pervenit. Ibi ab ea parte, quae magis aversa a custodibus erat, fossae muros ambienti pontibus injectis, equitatum traducit. pedites per constrictam duratamque gelu aquam incessere. Interim conscii qui in urbe erant, sentiente nullo, tantum muri diruerant, quantum satis erat, ut per ruinas patentes, equitatus immitti posset. dum igitur equites equis desilientes, eosque loris ducentes per eas in urbem irrumpunt; eodem tempore pedes admotis scalis in muros evaserat; vexillisque reguli ac Florentinorum erectis, lilia muricesque ferreos, per itinera, quibus cives Castruccianique in eos procurrere poterant, sparsere: jamque magna hostium pars immissa in urbem erat, cum illo qui custodias obibat ad arma, et hostes in urbe esse conclamante, is statim cum sociis obtruncatus est; tamen tumultu excitato statim ad arma procursum. Interim affluente magis multitudine hostium, qui in urbem intraverant, turrim, portamque ad D. Marci, ponti qui inter primam alteramque portam est injecto igne, valide oppugnabant. Nec segnius cives milites-

que qui in praesidio erant, ad CL. equites, quingentosque pedites, pars in forum, pars in hostem procurrere. tantaque vi qui urbem ingressi erant obturbati, ut muri ruinas repetere iterum coacti, quidam metu se praecipites darent: tumultuque per incertum noctis trepidantium, cum alii intrare, alii urbe excedere festinarent, omnia strepebant: viris equisque, occursu se se collidentibus: praecipue inter impedita et angusta loca: cum hinc disjecti muri rudera, hinc fossa vallumque obstarent; infectaque re pulsi abierant, nisi Sanguinetus suos tum verbis adhortando, tum manu ac fortibus factis praeeundo fugam inhibuisset. Quare resumpto spiritu, conscensisque equis, tanto impetu in oppidanos praesidiumque invecti sunt, ut bis fusos repulsosque terga dare coegerint. inter quae prima porta jam flammis absumpta, iisque qui in custodia erant obtruncatis aut captis, omnis equitatus hostium peditesque magno classicorum tubarumque clangore ac vociferatione urbem ingressi, Castruccianis retinendi locum spem omnem ademere. Quare cum duobus parvis castruccii liberis, Henrico et Valerano, se se in novam munitionem a Castruccio in extrema civitate aedificatam recepere: quamquam adhuc non absolutam, tamen admodum validam ope-

risque admirandi; ut caetera omnia, quae summus ille vir animi sui magnitudini paria moliebatur. Pistorienses, improviso malo attoniti, prius capta amissaque urbe, quam tentari sensissent, huc illuc feminae virique velut amentes passim discurrendo, omnia moestis clamoribus luctuque compleverant. intendebant pavorem tenebrae, quae conspectum oculorum impediendo, cuncta in majus cogitationi animorum subjiciebant: nulloque suorum alienorumque discrimine, quisquis occurrisset, tamquam hostis timebatur. in eo pavore ac fuga milites, relictis signis, spretoque ducum imperio, quo quemque avaritia aut libido ducebat, per domos ad praedam, ac stupra furentium modo vagari incipiunt: adeo ut ad signa cum Sanguineto Tosaque vix LXXX. equites restiterint. cum quibus Castruccianos, qui in arcem confugerant aggredi ausi, a Germanorum cohorte tantis animis viribusque excepti repulsique, ut pluries commissa, pluries relicta pugna eorum impetum non ferentes parum abfuerit quin etiam urbe pellerentur. Sed dilucescente jam die, cum cognito ducum periculo, milites undique ad ferendam opem pudor evocasset; affluente subinde multitudine Castrucciani intra arcem recepti, paulo post lucensi porta cum regiis pueris Serram evasere. armo-

rum equorumque in fuga aliquantum relictis, quae hosti praedam fuere, et nisi miles ad praedam rapinasque dilapsus esset, constat occupata lucensi porta, Castruccii liberos potuisse intercipi: fortuna patris servatos, quae etiam pro absente pugnavit. Per hunc modum capta a Florentinis Pistorium est, ac omni clade per X. dies direpta: Guelphis pariter Ghibellinisque militari rabie spoliatis: quos causa dispares, avaritia furorque victoriae aequavit. Nec tantum a praefectis Florentinorum peccatum, quod incolumes Castruccii liberos emisere; sed eadem socordia, Serra, Titianum, Carminianum, Murlumque omissa: quae capi facile potuere, si aut majus parendi obsequium in milite, aut major imperandi auctoritas in ducibus fuisset. Sanguinetus Florentiam reversus VII. Id. februarii triumphantis more urbem intravit, spolia captivosque prae se agens: inter quos magno Florentinorum gaudio Philippi Tedicis filius, Castruccii filia genitus, una cum parvo nepote, aliisque pueris Ghibellinorum spectati: patris avique memoria, quorum proditione Pistorium amissa fuerat: laetis omnium animis, prava consilia in auctorem tandem recidisse. Nuncio amissae Pistorii, tabellariis terra marique missis, qui maritimo itinere triduo Romam perlatus est, Castruccius non minus,

quam Bavarus moti: qui tam tristi eventu conturbatas sibi omnes rationes invadendi regnum neapolitanum cernebant. Neque enim tanti ducis praesentia orbato, ultra audendi, aut fiducia aut animus erat: quod contra Roberto regi laetum, cui non tam a Bavaro, quam a Castruccio metus: quem cura rerum suarum ab ejus latere avelli salutem suam interpretabatur. Quippe rex parum instructus ad obsistendum erat: nec habebat quem tam forti callidoque, ac praeterea fortunatissimo duci opponeret. Quare si statim eo belli moles conversa esset, in magnum discrimen se adductum iri cernebat. Castruccius multum apud caesarem conquestus exprobratoque non falsum vatem fuisse; ne quid Lucae Pisisque novaretur, venia aegre impetrata, Kal. februarii Roma discessit: moraeque impatiens, caeteris copiis sequi jussis, ipse cum XII. promptissimis equitum expedito itinere per maritimam oram praegressus, (tantum illi audaciae fuit.) V. id. februarias Pisas intravit: aliquanto post D. equitibus, ac mille ballistariorum manu consequutis. Utque erat animi ad omnia invicti, nihil Pistorii jactura territus, tuentem fortunam fulcire aggressus, Pisas a Bavaro alienatas, arbitrii jurisque sui facere statuit. Quare absente caesare liberum spatium nactus, nullo

praefecti imperatorii respectu, statim publica munia ad se trahere, vectigalia occupare, tributo insuper civibus imperato in stipendium militum sumptusque comparandae in Pistorienses expeditioni, quam totis viribus moliebatur, coepit. Pisani, quorum cervicibus tamdiu formidatum Castruccii jugum jam inciderat, non tam libertatem quam mitiorem dominum quaerentes, literis ad Bavarum datis, urbem se augustae dedere, jurisque illius facere significavere. Caesar misso statim comite Octingensi, qui uxoris nomine Pisanos reciperet, conceptam in Castruccium iram suppressit, haud dubie eo facto spretus, caeterum majoribus injuriis occasionem praebiturus si agnovisset. Castruccius magna et ipse dissimulatione comitem amice excepit: dum ne civitatis imperio cederet, inanibus officiis certare haud in magno ponens discrimine. Caeterum altero post ejus adventum die, semel iterumque, ex eorum temporum more, tamquam dominus per urbem cum universo equitatu, pedestribusque copiis discurrit; Barisone eugubino, ac Philippo Caprona pisano Bavaro fidis, aliisque praeterea civibus, quorum suspecta illi fides, in custodiam datis. Tum advocata populi concione, eligi se pisanae reipublicae dominum in biennium curavit: quod III. Kal. aprilis factum in annalibus reperio:

delinito muneribus pecuniaque Octingensi; ne Romam reversus eam injuriam apud caesarem verbis augeret. dictus propterea per jocum, aurea sera comiti os obstruxisse. Hanc famam ut certiorem sequutus sum: quamquam non desint, qui Pisarum imperium Castruccio sponte a caesare traditum affirment. Dum Castruccius Pisis moratur, Toporium per proditionem occupandi ostentata spe, illuc proditore duce noctu cum copiis profectus, primam portam obtinuit. Sed accurrente Florentinorum praesidio, proditor comprehensus interfectusque, quique in oppidum jam evaserant repulsi. Castruccius Pisas reversus, compositis rebus, Lucam venit; ac inde cum magno equitum numero Pistorium usque, ad exploranda loca, occurrente nullo, processit: Serramque ac Murlum novis praesidiis firmavit: Florentinis improviso formidati hostis adventu torpentibus, nec obviam procedere ausis. Inde Lucam reversus, dum obsidioni pistoriensi comparandae totus incumbit, per belli curas, pacis inter principes Italiae populos sanciendae studium non omisit. Genuenses Venetique vetere aemulatione, dum maris imperium utraque gens ad se trahit, mutuis injuriis, praedas invicem auferendo, in Syria odia renovaverant. ut quaeque utriusque gentis navigia fortuito occurrissent, praelia caedesque Orien-

tis maria infesta habebant. Nihil adhuc publico consilio gestum erat, sed jam res in apertum bellum eruptura videbatur: Venetique LX. triremium classem eo animo instruxerant. Castruccius discordes pacare aggressus, (quippe utraque gens ghibellinae factionis, ad earum partium principem suas controversias detulerant) ita rem conciliavit, ut Veneti damna Genuensibus praestarent. nec illi, quamquam indecorum, judicatum facere detrectaverunt; dum sapientia magis quam speciosa sequuti, libero maris commeatu frui, ac impendiis parcere cupiunt.

Interea vere jam adulto, totus in Pistoriense bellum conversus, mille equitibus cum magna peditum multitudine eo praemissis, ipse Pisis aliquandiu substitit, donec caetera ad urbis expugnationem necessaria comparantur. Nec parvi operis futura res erat. Quippe novis munitionibus ipse urbem firmaverat: praeter turrium ingentem numerum, perpetua lorica, ac duplici fossa circa eam ducta: ut nihil illi magis quam suae ipsius artes nocerent. Sed praeter insitam animi virtutem, quam periculosa et ardua majorem faciebant, non parva spes ex Philippi regii praefecti Florentinorumque discordiis erat. Florentini, insita tenacitate, omnem belli sumptum in Calabriae re-

gulum inclinabant. « Idcirco se illi annua ducenta millia, in militum stipendia, in muni» tiones commeatusque, omnemque alium belli » apparatum pendere; ut ipsi omni alia cura » soluti pecuniae tantum cogendae in eam ero» gationem vacarent. ipsos tamen sponte im» pensa sua MD. pedites alere; cum regulus » ex mille equitibus, quos ex foedere debuis» set, vix octingentos in armis haberet. inique » admodum nunc de Pistorii munitione appel» lari, cum praefectus gallique milites ejus » urbis praeda novissime crevissent. Prae» fectus contra, operam sibi, non sumptus » incumbere contendebat. quicquid laboris, » quicquid periculi virtutisque esset, suum » asserere. impensam in commeatus, in muni» tiones ad Florentinos spectare ». Ita per avaritiam pravamque animi contentionem, dum alii in alios onus rejiciunt, neutris curae erat. Constat IV. aureorum millibus Pistorium muniri potuisse, nisi florentina parsimonia tamquam sumptuosam eam collationem respuisset. cum deinde, praeter ignominiam pudoremque male gestae rei, centum millibus id bellum eis constiterit. ita comparata ratione, ut homines nimis attente avareque parvos sumptus vitando, in maximos ac minime profuturos incidant. Igitur per hanc discordiam, cum

haud ultra duorum mensium alimenta Pistorii esse Castruccius nosset, maturandum ratus praemissas copias ipse paulo post III. Kal. junias cum caetero exercitu subsequutus est: in quo praeter ingentem peditum numerum mille septingenti equites fuere. Ante adventum Castruccii, qui praemissi erant, quicquid a praeteritis cladibus integri in pistoriensi agro superfuerat, late ferro flammisque depopulati, urbi quoque coepta obsidione instabant. Sed numero haud quaquam tantae rei pares, tum eruptionibus militum, qui in praesidio erant; civiumque qui et virtute et animo militem aequabant, tum Florentinorum incursionibus, qui Prato saepe in obsidentes procurrebant, haud parum vexabantur. Sed Castruccii praesentia iniquiora omnia hostibus fecerat. Nam quadrifariam divisis copiis, totidem locis castra posuit, ut ab omni parte aditum hosti intercluderet. Tum itinera omnia, praealtis latisque fossis, arborumque concaedibus intersepsit: mira celeritate alibi terreno aggere, alibi vallo duplicique fossa educta. Ad haec plura castella ligneasque turres, pluteis interjectis, per circuitum urbis erexit: unde tela in propugnatores e superiore loco ingerebantur. omnia romano more, et e militiae veteris disciplina. Tum quatiendis muris testudines bal-

listaeque, ac omnis generis tormenta disposita: ut hostium etiam confessione, nihil a magno illo duce omissum sit, quod obsidendis urbibus, ex intima belli arte fieri posset. Ex eo tempore, rarae aut nullae ex urbe eruptiones. et si qui tentare belli aleam, ac exire ausi essent, a Castruccianis excepti, saevo exemplo ad aliorum terrorem, alii truncati pedibus manibusque, quidam effossis oculis, debiles deformatique in urbem remittebantur. quod cum in aliquos honesti generis factum esset; propinqui suorum calamitate moti, eadem rabie, quos Lucensium praeteritis velitationibus coepissent, alios laqueo e muris suspensos necavere; quosdam adhuc spirantes in frusta concisos, machinis in castra jecere: ut Castruccius clade suorum, a caedibus suppliciisque captivorum in posterum abstineret. Illi quoque qui antea Prato in nostros excurrere soliti erant, clausis itineribus destiterant: cum et latae undique fossae, et stationes militum obstarent, nec nisi ferro facienda via esset. Quare Tosa, qui cum mille peditum, trecentorum equitum numero urbi praesidebat, occultis nunciis Florentiam significavit, quo in statu Pistorii res esset. « paucorum dierum alimenta » superesse. animos civium labare, deditio» nemque respicere. nisi cum validis auxiliis

» mature succurratur; in ea animorum rerum-
» que desperatione, retineri urbem diutius non
» posse.» Quae audita sera tandem poenitentia erroris sui Florentinos admonuere, coactos post tempus infinito sumptu facere, quod opportune compendio potuissent. Itaque velut ex alto somno experrecti, ad colligenda undique ex guelpharum partium urbibus gentibusque auxilia misere. tum ad legatum, qui pontificis nomine Bononiam regebat missum: à quo aegre septingenti equites impetrati: aliam quoque manum qui in Gallia Cisalpina erat legatus submisit. Quare MCD. equites e sociorum auxiliis in Florentinorum castris erant. quibus additi DCCC. quos regius praefectus Sanguinetus ducebat: aliique CDLX. quibus Virginius Landa placentinus, ac Joannes Bonvillaeus gallus praeerant, amplius duum millium, ac sexcentorum numerum explebant. peditum summam quidam ad XXX. millia augent. Veteres scriptores (1), uti certum numerum non concipiunt, ita magnum fuisse tradunt. Cum his copiis duce Sanguineto XIV. Kal. augusti Florentini ad solvendam Pistorii obsidionem profecti, prima die ad Allianam consedere. postero die

(1) Jovius in Elogio Castruccii, Villan. lib. 10, cap. 86 Histor. Pistoriensis.

cum in conspectum hostium venissent, castra ex adverso locavere. Castruccius cognito Florentinorum adventu, omnes copias ex diversis quibus tendebant locis in unum contraxit: quo paratior ad obsistendum foret, tanto majoribus hostium copiis; relictis cum Galeacio Vicecomite qui itineribus praesiderent, prohiberentque civium eruptiones. Sanguinetus perspectis munitionibus, quibus Castruccius urbem concluserat, ad novi inusitatique operis artes obstupuisse dicitur. Nam et duplici fossa, vallo item duplici omnia septa erant: per utrumque ambitum ligneis turribus per intervalla erectis, in quibus machinae ac tormenta disposita, ut nec exitus inclusis ab urbe, nec aditus foris ad intromittenda auxilia esset. praeter arborum stragem, qua equitatus inutilis reddebatur; cum per impedita ramis stirpibusque, equi incedere regique minime possent. Itaque Sanguinetus, ne tentato quidem aditu, fecialem ad Castruccium misit, qui illi praelium denunciaret: pellita manuum theca (1) de illius aetatis more, missa. Castruccius pugnae nuncio cum honore excepto, se vero eam accipere, alacri vultu, respondit; cum longe alia

(1) Il Guanto.

consilia animo agitaret. Quippe numero impar, si acie decerneretur, aequiorem hosti pugnam futuram videbat. nec e belli arte rebatur, cum ab irruptione hostium tutus, obsessam urbem stare diu non posse cerneret, certam victoriam in incertam martis campique aleam dare. ludificando tamen hosti omnia facere, ut velle pugnam putaretur. Adeoque simulatione processum, ut operae utrinque, cum ligonibus palisque aequandis, ut praeliantes consistere possent, campis mitterentur. Sequenti die Florentinorum dux prima luce copiis vallo eductis, aciem instruxit, magnoque tubarum signorumque concentu hostem ad pugnam invitavit. cumque ad multam diem in armis stetisset, sub vesperam nullo obviam prodeunte, copias in castra reduxit. Idem altero, tertioque die factum: Castruccio inane dedecus transmittente, ac interim novis operibus eam partem munire festinante, qua tentare aditum posse hostis videbatur. tanto studio, ut licet vapore solis omnia incendente, ipse quoque, non ducis magis quam gregarii militis munia obeundo, cespitem comportare, vallum statuere, terram bidente effodere visus sit. qui labor, maxime insalubri anni tempestate, fata illi maturavit. Sanguinetus, ubi Castruccium detrectare pugnam videt, cum copiis in dexteram

partem, quae in septemtrionem vergit transgressus: superatis ad Serram faucibus, ad Buram amnem castra communivit: eo consilio, ut venientes Luca ad exercitum commeatus interciperet. multo majus negocium facturus, si ad laevam praeter Umbronis ripas copias duxisset. Ibi parvis velitationibus sine ullo fructu tempus terendo, octo dies substitit; tentata ter per Virginium Landam irruptione: eoque toties a Castruccianis valide repulso: inter quae illud etiam Florentinis incommodum accidit, quod crebris germanorum equitum ad Castruccium transfugiis, non sine praefectorum infamia, quos Castruccianis muneribus pastos vulgo ferebant, exercitus minuebatur. Nec parum gerendae rei discordia ducum obstabat; cum de belli ratione inter Sanguinetum praefectumque bononiensis equitatus non conveniret. Quare abjecta solvendae obsidionis spe, id e praesentibus optimum visum, ut uno tempore in lucensem pisanumque agrum excurreretur: si clade suarum rerum a Pistorii obsidione averti posset. Verum antequam a Pistorio castra moverentur, tentare iterum placuit, si Castruccium elicere in praelium possent: rati ingentis elatique animi ducem, insita ferocia pudorem toties iteratae provocationis minime laturum. Sed ea quoque ratio illos fefellit. Nam

ut, cum victoriae spes se se ostenderet, inter caedes ac vulnera ferox animus gaudebat; ita famae contemptor, quodvis ludibrium ab hoste haud aegre pati: rationemque ac consilium inani verecundiae praeferre: malleque derisum ab hostibus vincere, quam laudatum perire. quod ubi frustra fieri intelligunt, divisis copiis V. Kal. augusti alias Sanguinetus Prati in statione reliquit; alias Guissiana amne superato, in lucensem agrum immisit. Praefectus bononiensium equitum magnis itineribus in pisanum agrum transgressus, famam adventus sui antevertit: incensoque oppido ad Eram fluvium, fossaque Arni potitus, Cascinam eodem impetu occupavit. passimque populatione ac caedibus cuncta vastando, praedasque hominum armentorumque agendo, usque ad Pisarum portas impune excurrit. tam agro quam urbe praesidio nudatis, cum robora virorum ad obsidendam Pistorium sequuta dominum essent. Castruccius nihil ea clade motus, omnium, quae coepisset usque ad extremum pertinax, in obsidione urbis perseveravit. gnarus tam arcta omnia Pistorii esse, ut paucorum dierum moram victoriae suae obstare facile pati posset. Nec multum temporis effluxerat, cum qui in praesidio erat Simon Tosa, trium tantum dierum superantibus alimentis, misso caduceatore

Castruccio significavit, urbem se ea lege dedere paratum esse, si abire sibi cum praesidio, iisque qui exire cum ipso voluissent, quaeque libitum esset ferre secum licuisset. Quamquam ea a summa desperatione profecta Castruccius intelligeret, tamen speciosis utilia praeferendo, omnisque morae impatiens, in eas se leges accipere deditos pactus, III. Nonas augusti Pistorium intravit. laetus se non tam urbis unius recuperatae accessione, quam fama gloriaque in immensum auctum. Quippe cum in caeteris expeditionibus utramque propitiam expertus esset, in hac nihil fortunae, sed virtuti suae omnia debebat. ea, tam admiranda arte, romanae laudis aemulatione, urbem fossa, vallo, ligneis turribus cinxisse: omnem hostibus aditum interclusisse: tam callide stationibus castrisque dispositis, ut nihil ab antiquis ducibus e militari disciplina fieri magis potuerit. Ad haec tam impare numero universam pene Etruriam in se conjuratam, exercitum XXX. millium peditum, duum millium ac DC. equitum; tot gentibus, tot auxiliis validum adeo sustinuisse, ut nulli aggerem scandere, nulli vallum perrumpere, nulli ad obsessos penetrare licuerit. ab eadem virtute profecta, toties recusatum praelium; toleratas lucensis pisanique agri clades; constanter obsidionem pro-

ductam, quamquam fumum flammamque suarum urbium, ac pene gemitus morientium exaudiret. Eaque omnia non tam militum praefectorumque, quam sua industria, suis laboribus confecta: cum ipse sudore ac pulvere aspersus, ducis, militis munia unus obiret. ut ad caeteram felicitatem veluti cumulum accessisse putandum sit, hoc illi novissimum militarium mortaliumque operum extitisse; eumque in media laude gloriaque tam insignis victoriae extinctum. Nam dum Pistorio praesidiis firmata, Ghibellinisque in eam restitutis, triumphantis modo Lucam reversus; Lucae, Pisarum, Pistorii Lunae cum adjecta regione, magnaeque partis Liguriae litoralis ad orientem dominatione, in qua CCC. oppida muris clausa censebantur clarus, jam Florentiam totiusque Etruriae regnum spe et cogitatione praesumit; immodico labore vigiliisque confectus, morbo quo magna pars exercitus implicita est, pluresque insignes viri periere, inter quos Galeatius imperio Insubriae olim superbus; et ipse decubuit. Illo intra paucos dies absumptus est III. Non. septembris, anno aetatis XLVII. in medio fortunae gloriaeque cursu, bono Florentinorum fato, rebus humanis subtractus; clara aeternaque nominis ad posteros fama. Eam necessitatem non pie magis quam fortiter tulit: eodemque, quo

caetera animo mortem vicit. In eo articulo sacris conciliatus, suppliciter admissorum veniam, pacemque caelestium implorasse dicitur: longe felicior futurus, si pro meliore causa pugnasset. Tres parvos liberos Henricum, Valeranum, Joannemque, praeter Octinum, quem regio more furto substulerat, sub Pinae matris, virilis animi feminae tutela reliquit: paternae fortunae profecto haeredes futuros, si virtutis facere potuisset. Mors ejus per aliquot dies suppressa; (sic ipse jusserat) donec provisis quae tempus moneret, et decessisse Castruccium, et liberos imperare fama eadem tulit. Henricus natu maximus, cum suo fratrumque nomine Pisarum imperium praesens adisset, eique per urbem discurrenti faustis acclamationibus plausum esset: populo parvis principibus vitam ac felicitatem acclamante (1), Lucam ad justa patri solvenda rediit. Funus regio more illi postridie Idus septembris celebratum: quodque ejus condi claudique potuit, in D. Francisci aedem marmoreo sepulchro illatum. Durat adhuc titulus, antiquis literis inscriptus, nomen rerumque gestarum gloriam brevi elogio complexus. Mors illius,

(1) Vivano li Duchini.

ut Florentinis ingenti adeo cura solutis laeta, ita plerisque tristis: reputantibus in eo, post veteres caesares regesque, qui militari laude quondam floruere, maximum ducem in medio aetatis rerumque cursu extinctum: et si vitia virtutibus rependas, his multo superantibus. Gesta illius vitamque plures scripsere: inter quos Florentini duo: sincere, virtutis etiam in hoste mirator Villanius: maligne ac fallaciter Macchiavellus, vir damnatae jam famae, nec minus dubia religione quam fide. deinde Tegrimius, aliique; quibus, ut ejus generis scriptionis mos est, privata ac minutiora persequutis; nos, quae publica, et ad memoriam posteritatis illustriora, tantum in annales retulimus.

LIBER VII.

BREVIARIUM LIBRI

Infelix reip. status post Castruccii mortem. Civitas undique odiis septa. Florentini amissa recuperare incipiunt. Bavarus in Castruccii filios ingratus. Pisas Lucamque illis aufert. Germani milites ab eo deficiunt. Cerrulium occupant. mox Augustam Lucamque. de ea vendenda cum Florentinis agunt. Regio ad Naevulam Florentinis se dedit. Pisani Lucam LX. millibus emunt, sed sine fructu. Luca Barbarorum auctio. Gerardino Spinulae XXX. millibus venditur. in eum Castruccii liberi se armant. Florentini Catinum obsident. Spinula succurrere frustra tentat. Luca a Pisanis obsidetur. Lucenses Joanni Boemiae regi se dedunt. Singuli cives in ejus verba adiguntur. Carolus regis filius Lucam venit. item rex, qui Petro Russo Lucam XXX. millibus oppignerat. magna ex imbribus clades. Joannes rex Lucam simulate Francorum regi dono tradit. eam Russo libere permittit. ille Mastino Scaligero: qui regibus ea aetate par. Florentini saepius Lucensibus infesti. Mastini fortunae inclinatio. Luca religionibus a pont. Max. solvitur. Mastinus Florentinis Lucam vendit. eam Pisani obsident. Florentini intra Augustam recepti. a Pisa-

nis funduntur. Robertus rex Lucam a Florentinis repetit. Pisani Lucam obtinent. eorum in Lucenses acerbitas. Robertus rex moritur. Rusticus Peranus proditione libertati obstat. dira toto terrarum orbe lues. Pisani de evertenda Luca agitant. Societatum peregrinantium origo et auctor. Carolus imperator in Italiam venit. Lucam cum conjuge invisit. Franciscus Castracanus a Castruccii liberis interficitur. Civium proditione libertas differtur. Saevum Castruccii filiorum fatum. conjuratur in Pisanos. Joannes Agnellus Pisarum Lucaeque dominus. Carolus imperator iterum in Italiam venit: Lucensium praecipue invitatu. Agnellus tabulati ruina coxam frangit. Dominatum amittit. Urbanus V. praecipuus liberandae civitatis auctor. Carolus Lucam liberam pronunciat. CC. millium tributum indicit. arma in Pisanos capta. Mutro receptus. Carolus novam arcem inchoat. pro concione iterum Lucam liberam esse jubet. Cardinali Guidoni remp. ordinandam committit. Francisci Guinisii opera civitas in servitutem non relabitur. Aldericus Antelminellus captus, et in exilium pulsus. Bernabos obtinendae Lucae spe frustratus.

Continet Acta annorum XLII.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER SEPTIMUS

Quod e sole ac die in obscura ac subterranea loca transgressis evenire solet, ut oculis caligantibus titubet animus, nec ubi gentium sit expedire possit; id mihi a luce victoriarum triumphorumque in istam veluti reipublicae noctem, quae Castruccii mortem per annos XLII. consequuta est, operis cursu ingredienti contingere non dissimulem: ut nec progredi nec consistere in hac rerum caligine satis queam. Et quidem eam labem ac ignominiam temporum praeterire, a talium recordatione stylus abhorrens suadebat. Sed eorum exemplo, qui romanas res scripsere, quibus urbem a Poenis obsessam, a Gallis captam, imperaturumque terris populum ad Furcas Caudinas sub jugum missum, nudatos consules, augustamque illam geminorum regum speciem lu-

dibrio habitam, minime tacere visum; ne hanc quidem partem, quamquam acerbam ac luctuosam memoratu, ab annalibus meis excludere justum putavi: multo magis quam qui passi sunt, eis futuram dedecori qui fecere. Neque ego tot malorum causam, in fatalem quamdam necessitatem contulerim, qua ita rerum series innexa sit, ut aliae ex aliis, prosperae, aut adversae, alterna vicissitudine pendeant; existimemque imperiorum ac rerumpublicarum, ut ortus processusque, ita inclinationes obitusque fato esse: sed coelestis providentiae consilio adscripserim, cujus nunquam tam manifestae in ullum populum irae, quam in lucensem patuere; ob spretam religionem dirasque, quibus favore ghibellinarum partium Castruccius in praeceps tractus, patriam ruinae suae implicuit. Eo mortuo, unaque cum illo quicquid e Lucensibus timebatur extincto, novum imperium, una femina, tres pueri aetate et consilio imbecilles; dubia praeterea externorum militum fides, et qua major lucri spes appareret vires transferre assueta; tot undique circumstantibus odiis invalidum auxilium erant. Praeter invidiam semper ingentis fortunae comitem, multae magnaeque inimicitiae civitatem premebant: oblatum demum veteres iras explendi tempus avide arrepturae. Pontifex ob

ghibellinarum partium studia, spretam ipsius majestatem, impensum Corbario obsequium, receptum ab eo missum, qui sacris praeesset Rochigianum Tadolinum dirarum ac execrationum religione obruebat. Bavarus, quamvis Castruccii morte magnum fortunae suae columen concidisse acerbe tulerat; tamen ob ereptas Pisas occulte infensus, palam odia in ejus liberos profitendi audaciam ceperat. non sine ingrati animi nota, jacentis amici ruinas compendium suum facturus. Florentini, qui tam infenso hoste sublato, emersisse ab inferis sibi videbantur, omnium maxime impotenter, arma, bellum, caedes, vastitatem, servitutem Lucensibus minabantur. Quibus ad laetitiae cumulum, Calabri quoque reguli funus accessit, pridie Id. novembris venandi labore, ac coeli gravitate extincti. Uno tempore duplici jugo liberatis; quorum altero jam premebantur, alterum jam jam imminens pavore suspensi horrebant. Pisani vetere in Lucenses odio, illorum imperium aspernabantur: apparebatque usque eo Pistorienses in fide mansuros, donec occasio et potentior hostis defuisset. Praeterea caeterae per Etruriam guelpharum partium gentes, publice privatimque variis cladibus a victore Castruccio affectae, fortunam in ejus domo eaque civitate, unde ipsis tantae calamitates exortae

essent aegre aspiciebant. Primus a Florentinis belli turbo intonuit: profectusque Sanguinetus cum DCCC. equitum, quinque millium peditum manu, Carminianum obsedit. Oppidum et ingenio loci, et novis operibus a Castruccio munitum, L. equites DCC. pedites custodiebant. verum spatiosior murorum ambitus erat, quam si a pluribus simul partibus hostis aggrederetur, a tam parvo numero propugnari posset. Quare cum a viginti et amplius locis uno tempore Florentini impetum fecissent, flammasque in propugnatores conjiciendo moenia nudassent; incensis portis uno agmine irrumpunt, omnia rapinis ac caedibus complent, in domos ante direptas igne saeviunt. Milites qui in praesidio erant, cum quibusdam oppidanorum intra arcem recepti, aliquot dies obsidionem toleravere. Sed cum undique tormentis machinisque quassatae turres, jam transitum hosti darent, fessisque integri succedentes diurno nocturnoque labore propugnatores premerent; alimentis praeterea non pro numero confugientium congestis; qui intus erant, pacti ut incolumes abire liceret, octavo demum die se se dedidere. Dum Carminianum obsidetur, Bavarus Roma digressus, a Friderico Siciliae rege destitutus, pecuniarum egens, et cui non melior esset fortuna quam causa, per mariti-

mam Etruriae oram Telamonis portu expugnato, Roseto (1) obsesso; audita Castruccii morte, Pisas omissa obsidione pervenerat: nunciis Pisanorum sollicitatus, qui castruccianorum jugum excutere quamprimum avebant: Corbario Nicolai V. nomine cum suis purpuratis, totoque aulae ministerio prosequente, ingenti gaudio excepere illum Pisani, quorum instinctu Castruccii liberis dominatu illius urbis erepto; (qui sub ipsius adventum, desperati retineri civitatem posse, cum Germanorum praesidio Lucam se receperant) centum millium aureorum tributo imposito, Tarlatinum Tarlatum Pisis praefecit. Pisanis inani gaudio laetis, quibus libertatis loco erat dominum mutasse. Crimini dabatur Castruccii liberis, quod pater contra caesarum jus, cum Florentinis romani imperii hostibus de foedere agitasset. Adeo impotens cupiditas animum ejus excaecaverat, ut ne quidem vero similis causa quaerenti succurreret. cum nulla suspicio minus in hominem Florentinorum odio innutritum, florentino bello immortuum, cadere posset. Sed nimirum capta oculis cupiditas est: et apud ingratum animum voluntas pro jure obtinet. Co-

(1) Grosseto.

gitaverat etiam Bavarus, pueros Lucae dominatu exuere: sed ea consilia agitanti Pina mater intervenit; quae renovata eorum, quae vir ipsius Castruccius pro illo egisset, memoria pudorem injecit. accessere preces, lacrymaeque; et quod apud avarum animum potentius fuit, donum X. millium aureorum, partim praesenti pecunia, partim gemmis appensum. quo placatus in speciem, nihil in praesens mutavit. Sed a nonnullis Lucensibus, quibus dulcedine libertatis gravis dominatio erat, majoris lucri spe objecta, ad ingenium rediit: Lucamque profectus, eam quoque liberare pollicitus est, si CL. millia aureorum cives, pretium libertatis solvissent. Dum Bavarus Lucae moratur, Ghibellinis pro imperio liberorum Castruccii adnitentibus, Guelphi contra, (quorum Honesti principes) pro libertate pugnabant. Quare in urbe tumultuatum; pluribusque locis, praecipue ad Honestorum aedes, adversus equitum excursiones, septi claustris itinerum aditus. Sed a germanis militibus occupata urbe, Castruccii filii dominatione spoliati; impositusque praefectus, quem Porcarium vocitabant, qui caesaris nomine urbi praeesset, donec pacta CL. millium summa persolveretur. Is sive puerorum vicem miseratus, quos ex tanto fastigio dejectos, paternorum beneficiorum immemor

Bavarus in ordinem coegerat, sive propriae causae suberant, mandata caesaris oblitus, omnia moliri. ut eos in pristinum fortunae gradum restitueret: praestititque, affinitate etiam cum illis conjuncta, eo consilio, ut una cum ipsis Lucae imperitaret. Quibus cognitis, Bavarus, Lucam iterum reversus, praefecto a gubernaculis urbis amoto, Castruccii liberos una cum Nerio Saggina eorum tutore hostes judicatos, omnique honore ac imperio iterum exutos Apuam (1) relegavit: renovata libertatis mentione, si promissa CL. millia a civibus praestarentur. Verum, dum tam a Pisanis quam Lucensibus, in rei pecuniariae angustiis, id tributum gravatim confertur; germani milites qui in caesaris exercitu erant morae impatientes, quod jam diu debita stipendia in alium aliumque diem rejicerentur, tumultum in castris concivere. Ex iis octingenti sublatis signis, Lucam animo eam occupandi proficiscuntur. Sed cum clausas portas, firmata praesidiis moenia reperissent, vicos urbi continentes depopulati, Cerrulium inter Vivinariam et Montemclarum, collibus qui ad orientem lucensem agrum a regione ad Naevulam amnem disterminant, impositum, occupavere: quem lo-

(1) Pontremoli.

cum Castruccius praeteritis bellis, firmissimis operibus munierat. castris ibi positis, in subjectam regionem excurrendo, vastitatis metu commeatus ab incolis extorquebant. Caesar ea consternatione militum motus, Marcum Vicecomitem ad eos misit, qui spe ac promissis delinitos ad obsequium revocaret. ejus legationis summa ea fuit, redituros se in castra caesaris, si LX. millia aureorum accepissent. agitaverant etiam ante de vendendo Florentinis Cerrulio: sed illi eadem avaritia, qua munire Pistorium pridem omiserant, eam quoque occasionem omisere. Verum dum Bavarus eadem qua promiserat fide, solutione, rei nummariae inopia, ad praestitutam diem non repraesentat; milites fallacis hominis vanitate exasperati, vicecomitem tamquam vadem obsidemque retinuere. Caesari his difficultatibus implicito, Actius vicecomes Galeatii Pisciae nuper defuncti filius, spe recuperandae dominationis oblata, si in paternum avitumque imperium restitueretur, centum viginti quinque millia aureorum in stipendium militum pollicetur (1). Bavarus his promissis laetus Mediolanum ire jubet, paternamque fortunam iterum capessere: cumque eo Porcarium, nonnullosque

(1) Ann. 1319.

militum ex eorum numero, qui ad Cerrulium tendebant. pecuniae exigendae mittit. simul retinendo homini, curat Joannem vicecomitem Maphaei filium a Corbario pontifice in collegium purpuratorum referri, eique legationem per Galliam Cisalpinam demandari. Porcarius Bavaro ob ereptam lucensem praefecturam iratus, XXV. millia ab Actio recepta intervertit, ac in Germaniam profugit: nec caesare, nec Cerrulii equitibus ea de re appellatis. ex quo Bavari in Actium irae: militibusque deinde duce Marco vicecomite occupandi Lucam occasio. Caesar, quamcumque arripuerat spe eum deserente, pecuniae inops, veritusque ne caeteri quoque milites, Cerrulii turmarum exemplo ab eo dilaberentur, de restituendis in paternum imperium Castruccii liberis agere coepit. Quod consilium dum Antelminelli, quique eorum partis essent adjuvant; Podii et Salamoncelli cum asseclis impedire conantur; jam vallato itinerum aditu, res ad seditionem et arma spectabat. Ad eam famam Bavarus Pisis digressus, cum Lucam venisset, per urbem cum equitatu caeterisque copiis decursione facta, ad ordinandam deinde rempublicam animum adjecit. ac primum omnium, Podiis iratus, aedibus eorum injici ignem jussit. quo incendio Antelminellis eos qui restinguere vole-

bant prohibentibus, omnes ejus gentis domus a foro usque ad angulum Brectum conflagravere. Eadem clade in Salamoncellorum, caeterorumque ejus factionis saevitum. ipsi urbe exacti. quo vero minus pueros, uti destinaverat, paternae fortunae redderet, haec causa fuit. Castruccio mortuo, Antelminellae familiae principatus penes Franciscum Castracanum erat. hic per regulum octingensem caesari insinuatus, quos fovere debuisset, eadem stirpe genitos, quibus, et imbellis aetas et patris memoria misericordiam et gratiam, etiam apud alienos conciliabat, Castruccii liberos opprimendos susceperat: prava ambitione eorum potentiam in se declinare decorum ratus. nec difficile fuit apud inopem avarumque hominem, qui latronum more in dies vivens, cum nihil haberet quod suum dicere posset, mercatum civitatum ac imperiorum agebat, eam spem licitari (1). Quare oblato duum et XX. millium aureorum pretio pulsis iterum Castruccii liberis, Castracanus praefecturam lucensem caesaris nomine obtinuit: quae res demum illi in exitium vertit. Ita constitutis rebus, relictoque qui Augustam custodirent Germanorum praesidio, Bavarus Pisas rediit: insubrico bello

(1) Villani.

imminens. quippe Actius imperium adeptus, pactam pecuniae summam aliis super alias caussis differebat. Castruccii liberi Pisis Lucaque exclusi, Pistorium saltem retinere nitebantur. quare Philippi Tedicis filii, quique iis favebant, una cum Gerio Saggina, qui se Topalsii dominum nominabat, magno numero peditum equitumque, Germanorum praecipue, qui Castruccio fidissimi extiterant, Pistorium ingressi, fausta parvis regulis acclamando (1), tota urbe discurrere. Sed fortuna cum ejus vita Castruccii domum deseruerat. Nam ad eas voces Panciatici, Vergellesii, Gualfreduccii aliique nobiles, quibus adversus Tedices irae, populo ad arma vocato, simul caesarei praefecti auxiliis subnixi, obviam Castruccianis egressi, nomini caesaris acclamando, praelium iniere. in quo Castrucciani magna accepta clade, alii caesi, alii in fugam versi, Tedicibus, Topalsiique domino per eum tumultum elapsis. Quare pueri omni spe destituti; cum in oppida quibus antiquo familiae jure imperitabant, concessissent, paulo post novo fortunae ludibrio iterum in recuperandi imperii spem revoluti sunt. Bavaro in Insubriam profecto, Tarlatinus Pisis

(1) Vivano li Duchini.

cum DC. Germanorum equitum praesidio, Franciscus Castracanus Lucae cum CD. relicti, caesaris nomine dominatum exercebant. Sed una cum Caesare discesserat metus, qui rerum novarum cupidos ad eam diem continuerat. quare equites, qui apud Cerrulium tendebant, triduo post Bavari discessum, Marco vicecomite duce creato, primis tenebris castris Cerrulio motis, antequam dilucesceret Lucam pervenere: Germanorumque militum qui in praesidio erant proditione intromissi in Augustam, id initium occupandae urbis habuere. Sed ut conciliandae civium gratiae speciosis nominibus uterentur, missis qui Henricum Valeranumque Castruccii filios accerserent, eos intra arcem accepere. Verum dum per itinera urbis decurrere in armis parant, puerosque principes ostentando vulgi studia incendere, cives, quique eis imperabat Castracanus, veriti ne per eam occasionem direptiones, ac incendia fierent, ultro civitatem vicecomiti militibusque dedendam censuere. Germani Lucae imperio potiti, praeter insitam ingenii ferociam, ab inopia etiam et avaritia truces, statim per agrum latrocinando dilapsi, nullo sacri prophanique discrimine cuncta diripiunt: et si quis obsistere ausus foret, ferro ac caede ulciscuntur. praecipue Campimajoris incolae eorum rabiem

sensere. advenientibus claudere portas ausi, ac defensionem parare, cum tandem vis oppugnantium valuisset, sine ulla misericordia ad CD. et amplius trucidati: oppidum direptum incensumque. eadem clade omnia circa Pisciam ferro flammisque absumpta. et ut quaeque regio opulentioris praedae spem ostenderet, ea potissimum hostis censebatur. Praecipui auctores vicecomiti militibusque occupandi Lucam, Florentini extiterant: inque iis primi Pinus Tosa, et Franciscus Silvestrius Florentiae antistes spem illis fecerant, si ejus potiri contigisset, Florentinos pretio LXXX. millium redempturos. quare cum res ex eorum destinatione cessisset; Florentiam misere, qui promissa reposcerent: significarentque, ducem militesque tradere civitatem paratos, si pacta pecuniae summa repraesentaretur. Ivere vicecomitis, militumque nomine Augustinenses monachi: tum vitandis suspicionibus, tum auctoritati obtentu religionis conciliandae, sincere ac sine fraude agi. Praeter aurum in stipendia militum, legati petebant, ut Castruccii liberis parceretur: liceretque iis privato jure ex aequo in civitate esse. Germanos milites erga parentis memoriam affici, ut proinde parvis ac innocentibus filiis cautum vellent: neque iis fraudi esse passuros, si quid cladis praeter praete-

ritorum bellorum, veluti tempestatem, florentino populo accidisset. Cum haec mandata legati exposuissent, scissis in diversa, ut in communi re solet, studiis pluries consultatum: aliis quovis pretio emendam urbem, tot malorum sedem causamque tendentibus; oblatamque divinitus occasionem merita ultione parentandi tot fortibus viris ipsique reipublicae, castrucciano bello pene extinctae ac deletae, avide arripiendam: aliis suspiciones metusque serentibus, fidemque militum elevantibus. « summae dementiae esse Ghibellinis, et hostibus » credere; quibus proditioni, ac latrocinio » assuetis, jam dudum nulla fides sit, nulla » religio. nihil propius futurum, quam ut et » Florentini aurum perderent, et Luca minime » potirentur. ad haec quantum dedecus pu» blicae majestatis esse, cum filiis tam acerbi » infensique hostis ex aequo pacisci; patique » eos ne dum incolumes, sed et honoratos » esse; quorum parens internecino odio flo» rentinae reipublicae interitum tot cladibus » quaesisset? quamquam cui persuaderi posse » eos privato jure contentos pacatosque fore » in ea civitate, in qua eorum nomini tam» quam principum regulorumque acclamatum » sit: quique non tam imperium, quam odium » in Florentinos a patre hereditarium accepe-

» rint? » Primae sententiae Pinus Tosa, cujus tota ea molitio, auctor erat. alteram Simon Tosa, ejusdem gentis, sed non ejusdem rationis, tuebatur: credebaturque privatis odiis publicae utilitati obstare: decusque tantae rei gentili suo invidere: spretor consilii quamvis egregii, cujus ipse auctor non fuisset. Igitur re multis altercationibus extracta, ea demum sententia vicit, quae emendam Lucam minime censebat. Majore concordia pacem foedusque cum Pistoriensibus Florentini sanxere. quippe nulla aut levis pecuniae collatio suberat: unica fere magnis eorum consiliis mora.

Lucensis rei conversione, qui Pistorium veluti ghibellinae factionis capita obtinebant, Panciatici, Muli, Gualfreducii, Vergellesii, aliique quibus in Tedices Castruccii affinitate suspectos, graves irae: in tanto rerum motu retinere civitatem posse sine periculo minime arbitrati, ultro ad Florentinorum opes amicitiamque confugerant. foedus in has leges ictum: ut Murlum, quaeque jam ex pistoriensi agro occupassent, Artiminum, Carminianum, Victorinum Florentinorum essent: ipsi invicem duodena millia in stipendium militum, qui Murlo praesiderent, solverent. exules omnes, Tedicibus exceptis, communicatis honoribus muneribusque, intra certum tempus re-

stitui placebat: eosdemque amicos inimicosque utriusque populi haberi. Ut ea sine dolo malo a Pistoriensibus agi palam esset, fidei pignus Titianum tradituros, praesidiumque cum praefecto Florentinorum in urbem accepturos. abolendae quoque praeteritorum memoriae, insignia Bavari, Castrucciique passim dejecta: ne quod usquam vestigium pristinae servitutis occurreret: ludique tamquam in novae libertatis exortu, magna laetitia celebrati. Pistoriensium exemplo, vicina ad Naevulam flumen oppida, quae Lucensium juris erant, Catinum, Piscia, Massa, Cocilium, Collis, Bujanum, Uzanum, Victorinum, Summanum, afflicta ac pene desperata lucensi re, impendenti ruinae caput subducendum rata, praefecto Florentinorum recepto, foedus cum illis inivere: venia impetrata eorum, quae castrucciano bello contra illorum rempublicam commisissent: eosdem amicos, hostesque habitura, quos ipsi jussissent. Ita pulcherrima ac frequentissima regio, nec ulli amoenitate ac fertilitate inferior, lucensi dominationi avulsa. Et ne quid pacati tranquillique in vicinia lucensi foret, Pisis quoque turbatum. Bavari absentia Pisani ad libertatis spem erecti, vicecomitis militumque, qui Lucam obtinebant, auxilio, Tarlatinum prae-

fectum cervicibus depulerant. Laetum id maxime Florentinis: tantumdem libertati securitatique suae accedere haud ignari, quantum auctoritatis potentiaeque Bavaro in Etruria decessisset. Quo tempore, tuto Florentiam veniendi commeatu vicecomiti dato, mentio iterum de Lucae emptione LXXX. millium pretio injecta: eademque civili aemulatione, Lucensium bono disturbata. Ita disponentibus fatis, ut Florentini infelicium amantium more, eam urbem semper ardenter concupiscerent, nunquam potirentur. Cum haec a vicecomite Florentiae aguntur, Pisani ad quos ea res per manaverat, veriti ne Lucae accessione Florentinos auctos, graves reipublicae suae sentirent, praevertendum rati, LX. millia militibus obtulere, si Lucam pacisci secum vellent: tantaque festinatione actae res, ut antequam obsides acciperentur, persoluto pretio, Germanorum perfidia, militari more cuncta non fide, sed utilitate aestimantium, et civitatem et aurum amiserint. Huic damno aliud ab irà Florentinorum accessit. Nam indignati Pisanos non satis habere, diuturnae servitutis jugum, quod jam diu sub Ugutione, Castruccio, ac novissime sub Bavaro passi erant excussisse; sed etiam veterem magnitudinem, ac imperii in-

crementa respicere; Beltramo Baucio (1) qui Roberti regis nomine Miniate obtinebat, cum mille equitum, majore peditum manu in pisanum agrum immisso, cuncta usque ad urbis ipsius portas depopulando, praedasque hominum jumentorumque agendo, vastavere. inde omni regione ad Eram flumen rapinis ac incendiis depopulata, occupatisque ac eversis oppidis Pratilione, et Camporena, Pisanorum audaciam acerbe ulti, eos ad petendam pacem compulere. Nec a Florentinis gravate admodum data, ut a caeteris vacui, lucensi bello toti incumberent. Nam dum pisanum agrum caedibus rapinisque vastant, qui ghibellinarum partium Castruccii liberis Catini studebant, auxilio copiarum lucensium, quae Topalsii cum ejus loci regulo erant, oppidum et situ et operibus validum, contra foedus nuper ictum, a Florentinis defectione averterant: pulsisque Guelphis, Lucensium nomine obtinebant. Quare pace cum Pisanis Toporii (2) sancita, cum omnibus copiis ad Naevulam flumen ire pergunt. incensisque ac eversis continentibus oppido vicis, Americo Donato in Catini obsidione relicto, valida peditum equi-

(1) Del Balzo.
(2) Montopoli.

tumque praesidia, Bujano caeterisque ejus regionis municipiis in fide continendis imposita. Catinensium exemplo a Ghibellinis Victorinensibus defectio frustra tentata: nam cum Donatus conjurationis principes Catinum ad communicanda consilia pergentes comprehendisset, oppidum quoque vi coepit, praesidiumque illi florentini populi nomine imposuit. interim Catinum ita circumsidere visum, ut milites qui in vicinorum oppidorum praesidiis erant excurrendo, aut omnino commeatus obsessis prohiberent, aut non nisi furto magnisque praesidiis importari possent. Tantas rerum conversiones unius viri mors effecerat. quas magnus ille dux, veluti divinans, supremis vocibus, ducta similitudine a tesserarum ludo, amicis lectum ipsius circumstantibus, mortemque tam immaturam deflentibus praedixerat (1). Sed ad nullos magis quam ad Lucenses, ex ejus morte calamitas pervenerat. Quippe nulla reipublicae forma, nisi quam et milites et barbari, ex voluntate, non ex ratione dedissent; eorum imperio nutuque tamquam captivi agebantur. quotidie velut in auctione, nova pretia licitaturis proposita: nec ullae circa gentes, cum

(1) Dopo la mia morte vedrete disarroccato. Villan.

quibus Cerrulii milites, tradendae urbis pactiones non inirent solverentque: huc post tantam victoriarum triumphorumque gloriam redactae, ut tamquam praeda spoliumque latrocinantis barbariae venalis esset. Sed cum nec iis spes retinendi esset, nec facile licitator reperiretur, satis gnaris, quibuscumque ea addicta esset, bellum ac pericula empturos; rursus Florentinos tentare placuit: cum eorum metu caeteri nomina minime profiterentur. Igitur tertio res in consultationem adducta: iisdemque civium discordiis invidiaque, e faucibus Florentinorum Luca erepta. cum pervinci non posset, ut ea publice emeretur, quidam privatorum professi sunt, se LXXX. millibus sumptu suo redempturos: ea lege ut respublica ex ea summa XIV. tantum penderet: atque interim augustam arcem ac XX. Germanorum praefectos obsides haberet. X. millia mercatores lucenses, olim ob guelpharum partium studia urbe pulsos collaturos. reliqua LVI. millia florentini mercatores spondebant. postulabant contra, ut omnia portoria ac vectigalia Lucensium ipsis addicerentur, donec sumptus in eam emptionem facti ratio ex aequo constaret: ita tamen, ut ex redacta pecunia, primum aerario solveretur. Id porro honorificum reipublicae fore, si privata caritate

tantum patria crevisset. nec aliam occasionem Florentinis magis gloriosam adfuturam, tot clades injuriasque castrucciani belli ulciscendi, si eos a quibus toties victi triumphatique essent, tamquam servos emptione suos fecissent. Sed ei quoque consilio malignitas alienae gloriae invidentium obstitit: compendiumque summae LXXX. millium cui pepercere, infinitis impendiis quae deinde Lucae obtinendae frustra tot bellis fecere, magna usura pensatum. adeoque eorum qui tum Florentiae in imperio erant, ab ea emptione aversa mens fuit, ut quicumque mentionem ejus injicere ausus esset, minis ac etiam vinculis coerceretur. Igitur milites a Florentinis exclusi, ad privatum hominem respexere. Venerat per eos dies Lucam Gerardinus Spinula, Genua pulsus, uti ghibellinarum partium princeps; magno nobilium comitatu, quos eadem causa expulerat. hunc manu strenuum, partaque nuper victoria de pontificis maximi Guelphorumque copiis in Gallia Cisalpina clarum, ac praeter veterem familiae splendorem, pluriumque oppidorum dominatum, divitem ac opulentum, germani milites de lucensis urbis emptione appellavere. Spinula ad inopinatae fortunae occursum laetus XXX. aureorum millia pactus, obsistente nullo, Lucam augustamque arcem

obtinuit: plerisque Germanorum ad sua stipendia retentis: et IV. Non. septembris post annum vertentem a Castruccii morte, imperium urbis accepit. parvo auro eam dominationem adeptus, quam magnus ille vir, tanto suorum hostiumque sanguine, tot praeliis victoriisque pepererat. De pretii summa variant auctores. aliis XXX. aliis LX. aliquibus (1) LXXIV. millibus emptam Lucam tradentibus. Nos Villanium, super caeteram fidem, praesentem testem praetulimus. Pecunia a mensariis genuensibus mutuo accepta: quibus pignori data Massa Lunensis, Feroniae fanum, Campus Major, ac Pedona lucensis agri oppida: ut ex publicis tabulis, quae in sanctiore tarpejae aerario custodiuntur constat. Spinulam supra caeteram potentiam tanta dominatione auctum, Genuenses guelpharum partium aegris animis accepere: gravem hostem in posterum ominati. Sed nullum aeque ac Florentinos ea res pupugit: tum demum erroris sui sera poenitentia tristes. tamque alte conceptas in Spinulam iras in pectus demisere, ut de pace ac foedere ab eo appellati, se hostes futuros, et quacumque ratione commo-

(1) Interian. Histor. Genuens.

dis illius obstituros, professis palam odiis responderint. Nec diu verbis abesse fidem passi. praeter Catinum, quod jam diu obsidebant, ineunte octobri mense Forum Clodii (1) in vicinia Pisciensium situm proditione ab eo abstulere. Id lucensis belli Florentinis initium fuit; et varietate rerum, et diuturnitate temporis, et magnitudine sumptuum memorabilis. Sed dum in eo muniendo, praesidiisque firmando, Florentini lentius omnia agunt; Spinula cum copiis eo profectus, magno illorum pudore intra paucos dies recepit. Tum vero Florentia ingentes querimoniae in eos exortae, qui Lucae emptionem dissuasissent, illatumque post bellum tanta socordia gessissent: non minus ignavos negotiatores quam milites. Interim Spinula, tum novis militibus, tum pecuniae in belli sumptus comparandae magno studio incumbebat; ut Florentinos jamdiu in obsidione Catini haerentes avelleret: nec Florentini praeteritae ignominiae abolendae cessabant. quibus illud gerendo lucensi bello maxime opportunum hoc tempore accidit, quod Panciaticorum ope, caeterorumque Ghibellinorum qui Pistorii plurimum poterant, Ser-

(1) Collodi.

ram oppidum in triennium custodiendum accepere. Nam praeter operum munitiones, ut supra memoravimus, is est ejus oppidi situs, ut iis veluti claustris pistoriensis lucensisque ager intretur: quique eas fauces obtineat, ad sua tuenda ac invadenda aliena, faciles opportunitates habeat. Nec Florentini modo, sed liberi quoque Castruccii, veluti paterni imperii invasorem, jure suo Spinulam dominatu lucensi dejicere, omni arte moliebantur. quare VI. Kal. decembris, amicorum Germanorumque qui patris stipendiis militaverant auxilio Lucam ingressi, nullo prohibere auso, tota urbe decurrere: militibus, quique iis e populo favebant, nomini illorum fausta acclamantibus. Spinulae repentinus motus magnum terrorem injecerat: hominique extero ac in novo eoque invidioso imperio, cuncta in majus suspicio augebat. amisissetque haud dubie dominationem, nisi arcis augustae praesidio tutus, se se continuisset, donec multitudinis studia languescerent. Sed optimis quibusque ad eum confluentibus, resumpto spiritu, septus armatis arce egressus, et ipse per urbem discurrit: qui eum assectabantur felicia ipsi, proditoribusque tristia mortemque ominantibus. Quare castrucciani consensu civitatis territi urbe profugere. Gerardinus retenta praeter spem

dominatione, plures castruccianae factionis in exilium ejecit. exautoratisque veteranis, quorum ob Castruccii memoriam suspecta fides erat; novos milites ad arcis praesidium e Gallia Cisalpina conscripsit. accitis etiam ex Liguria amicis propinquisque, quo pluribus munimentis novum imperium firmaret. Florentini dum Spinula domesticis turbis distinetur, arctiori obsidione Catinum urgebant: submissisque eo novorum militum subsidiis, per initia insequentis anni (1), noctu scalis ad moenia admotis, promptissimus quisque jam intra oppidum evaserat. Sed qui in praesidio erant, caesis qui oppidum intraverant, caeteros scalis ligneisque machinis ascensum tentantes, magna vi repulere. Americus Florentinorum dux improspero eventu minime territus, quod impetu occupari nequisset, longa arctaque obsidione capi posse non ambigebat. Itaque tamquam in ejus oppidi expugnatione tota reipublicae summa verteretur, tantis operibus Catinum undique clauserat, ut qui oculis praesentes hausere, veterum Romanorum militaribus laboribus anteferre non dubitaverint. Nam ad orientem ad lucensis

(1) Ann. 1330.

agri fines ingentis operis fossam, sex mille passus in longitudinem perduxit: Pisciaque ac Bura amnibus in eam derivatis aqua complevit: altera pariter ad septemtrionem eadem latitudine ac profunditate, a radicibus montis cui Serra insidet, Bujanum usque perducta. Naevula, ac Bura fluminibus in eam influere jussis. Meridiem paludes tegebant, campis ab ea parte stagnantibus aquis late super fusis. in fossarum marginibus terrenum aggerem construxerat: cui continendo injecti magnarum arborum trunci, stirpibus ramisque solo extantibus, perpetuoque nexu inter se implicitis, ita aditum claudebant, ut si quis irrumpere tentasset, illis tamquam laqueis semet indueret. praeterea vallum praeacutis sudibus statuerat, pluteis vineisque perpetuo opere circa actis. Ad haec per intervalla ligneae turres assurgebant: pluribus munimentis stationibusque, tam per acclive montium, quam in planitie dispositis: in quibus diu noctuque excubiae vigiliaeque agebantur. totius operis ambitus XIV. passuum millia complectebatur. quippe Florentini suo malo a Castruccio edocti, veram militiae artem eo magistro didicerant. Spinula, tum retinendi loci cupidine, tum oppidanorum nunciis sollicitatus, collectis omnibus copiis, accitoque e Gal-

lia Cisalpina cum auxiliaribus turmis Spinecta Malespina, Luca profectus, primo impetu Uzanum adortus, in quo duo Lucenses ex Obiciorum familia, Florentinorum nomine in praesidio erant, vi coepit. Verum non eadem felicitate in caeteris usus. Nam ubi ad hostium munitiones successit, latae praealtaeque fossae, tum agger vallumque magnam desperationem injecere. tum ex turribus omnis generis missilia in subeuntes ingerebantur: fossasque injectu terrae congestisque arborum caedibus complere aggressi, cum telis saxisque impune vulnerarentur, opus relinquere cogebantur. Quare Spinula frustra bis hostium munitiones perrumpere aggressus, bis repulsus reverti cogitur. Sed non ideo omnem spem succurrendi obsessis abjecit. praeter militum numerum, quos prioribus expeditionibus secum eduxerat, CDL. equitum numero ex Gallia Cisalpina auctus, clam etiam Pisanorum auxiliis (DC. equites, CCC. sagittarios submiserant) adjutus, qui in aperta pace hostilem in Florentinos animum occulte servabant. tantum virium collegerat, ut praeter innumeram peditum multitudinem, mille ducentorum equitum manum, e flore ac robore virorum sub signis haberet. Cum hoc exercitu Catinum profectus, curas Florentinorum intenderat. Quare

et ipsi novis subsidiis aucto exercitu, amoto Americo Donato, illius imperium Alamanno Obicio lucensi exuli detulere, strenuo viro, et guelpharum partium studiis praecipuo in Spinulam odio. Spinula castris ad Pilizatum positis, dum id agit ut aut vi perrumpat hostium munitiones, aut eos in praelium eliciat, capitis discrimen adiit, jurgio inter ipsum et Franciscum Castracanum orto. Nam dum militari ferocia uterque se jactat, a verbis ad manus collata re, a quodam ex Antelminellis qui in comitatu Francisci erant, Spinula vulnus accepit. percussore per tumultum elapso, Castracanus cum quibusdam germanorum praefectis captus, Lucamque in custodiam missus. Praefectorum nonnulli securi percussi. Castracano ignotum: fatis illum saevitiae suorum reservantibus. Sub Spinulae adventum Florentini aucto exercitu, cum maxima copiarum parte obviam progressi, ex adverso consedere: fossa tantum valloque utraque castra dirimente. Spinula tentato saepius aditu, pluribusque simul partibus munimenta hostium adortus, ubi frustra id fieri intelligit, quamquam numero longe impar, Florentinos in bellum evocavit. quod cum illi Castruccii exemplo recusassent; satis gnari Catini omnia extrema esse, paucorumque dierum alimenta superesse, satis ha-

bito hosti transitum intercludere, solidam victoriam inani rumori praetulere. Spinula aliquot dies sine effectu ex adverso hostium moratus, hoc demum consilium coepit. Erat inter Germanorum praefectos nomine Gobulus, belli artium maxime gnarus. hunc nocte cum Burazio e comitibus Gangalandis aliisque Florentinis exulibus fratreque Lucimburgo Spinula cum expedita CDL. equitum, D. peditum manu ire, ac sicubi laxatas custodias, aut munitiones minus firmas animadvertat, tentare aditum jubet. ipse sub lucem, ut ab eorum sensu hostes averteret, caeteras copias castris educit, ac ad hostium munitiones succedit, majore quam antea nisu expugnare eas adortus. Gobulus Serram fere usque progressus, qua parte raram militum stationem videt pontis super flumen Buram transitu expugnato, in proximum praesidium magno impetu invehitur, momentoque obtinet: turbatis improviso malo hostibus, nec in ea trepidatione consilium aut arma expedientibus. centeni equites majorque peditum numerus loco praesidebant. ex his plures interfecti, alii capti; inter quos Jacobus Medices Florentinorum praefectus, et Tebaldus Castilius e ducum numero quos Conestabulos vocabant, gente Gallus, aliique nobiles in nostrorum potesta-

tem venere. praeda quoque omnis generis victores potiti. Lucenses, ubi suos ultra hostium munitiones progressos vident, omissa pugna, citatis itineribus illo cursum intendunt. Sed cum ab interiori parte qua brevius iter erat, quingenti equites cum magno peditum numero a Florentinis missi, aliquantum viae praecessissent, advenientem paulo post lucensem aciem prohibuere: qui jam transierant ne ad suos se recipere possent, interclusis. Gobulus quique cum eo erant, ubi se intra hostium munitiones deprehensos conspiciunt, nec spem esse ut vel ipsi ad suos redire, vel illi ad se penetrare possent, quod in illa desperatione optimum fuit, in ardua montis se se recipiunt: unde crebris in hostium munimenta assultibus infesti, illos quiescere non sinebant: eodem tempore Spinula cum caeteris copiis, ab exteriori parte strenue oppugnationem prosequente. Ita per octo dies perseveratum: nec illis effugium, neque his aditum ferro sibi facere valentibus. Quo tempore, cum et novis copiis auctum hostium exercitum, suumque, tam valida equitatus parte avulsa diminutum Spinula reputaret, abjecta spe Catinensibus succurri posse, Pisciam ac mox Vivinariam subductis copiis, magna famae jactura Lucam inde concessit.

Florentini Spinulae discessu alia cura vacui, Catino arctius obsidendo omni ope incubuere, nova munitione prope fontes extructa, ne oppidani aquatum exire possent: quod novissimum malorum obsessis fuit. Quare praeter summam alimentorum inopiam, cum se aqua etiam interclusos cernerent; amissa praeterea omni subsidii spe, evocatis ad colloquium praefectis hostium, pacti ut salvis cum armis equisque exire liceret, oppidum dedidere. Itaque XIV. Kal. augusti praesidio Lucensium egresso, Florentini ingenti laetitia Catinum intravere, cum annum totum in ejus obsidione haesissent.

Catino recepto, cum de eo evertendo consultatum esset, duae sententiae fuere, utraque magnis contentionibus asserta. altera diruendum soloque aequandum censebat. « ita et » magnos sumptus vitari, qui in eo muniendo, retinendoque necessarii essent, aeter- » numque monumentum constitui ultae cladis, » sub Ugutione a Lucensibus Pisanisque circa » illud oppidum acceptae. alii contra, ut » guelphis partibus maxime fido ignosci opor- » tere contendebant. quippe unos Catinenses, » quo tempore a Lucensibus Florentini ejecti » sint, a caeteris exclusos sinu accepisse. Sem- » per Florentini nominis studiosos extitisse:

» nec ad Lucenses nisi vi et armis coactos » transisse. praeterea lucensi bello, quod tunc » gerebatur, nullum locum situ ac munitione » magis opportunum esse: utpote in ipsis lu» censis agri prope cervicibus impositum ». Haec sententia, et honestate et utilitate vicit: Catinumque stare jussum, ac novis praesidiis munimentisque firmatum. Catini deditione uti Florentini fama gloriaque admodum creverant, ita Spinulae nomen in dies, non apud hostes modo, sed etiam apud cives obsolescere. Quare inter quosdam nobilium, de eo dejiciendo Florentinisque accipiendis, consilia clam haberi coepta. Principes ejus conjurationis fuere Quartigiani, Podii, Advocati: qui a Castruccio olim in exilium pulsi, a Spinula restituti, haud quaquam meritis parem gratiam referebant. addiderat se illis Saggina Topalsii dominus, Spinulae ob Castruccii memoriam infensus. Sed cum ea conspiratio parum fido silentio tecta ad Spinulam permanasset, Paganus Quartigianus cum filio comprehensus ac securi percussus. Quare Florentinorum copiae quae ea spe ad fines Lucensium adventabant, cognita proditorum morte, signis retro conversis recessere, meritoque iis factum, ut qui aliena occupare tentassent, sua amit-

terent. Nam per id tempus milites qui Bujano praesidebant, iisdem artibus a Spinula capti, oppidum Lucensibus dedidere. Vicus in plano ad radices oppidi situs, misso ab Luca equitatu, Florentinis strenue illum defendentibus frustra tentatus. Florentini et proditionis improspero eventu, et Bujani jactura magnas in Spinulam iras conceperant. stimulabatque ex ignominia dolor, quod eum per animi ferociam jactare solitum fama erat; alterum se Castruccium futurum: magnoque Florentinis constiturum amicitiam ipsius sprevisse. Haec ille vanus opinione, quasi Castruccii principatum adeptus, mentem quoque obtinuisset; ignarusque imperiorum fortunam cum virtute aut inertia regentium stare aut cadere. Itaque nihil propius factum, quam ut oppidorum oppugnatione omissa, universa belli moles Lucam transferretur. Eo consilio Florentini duce Alamanno Obicio, III. Non. octobris cum copiis Pistorio ac e regione ad Naevulam amnem profecti, noctuque Cerrulium adorti, deditione obtinuere. eodem impetu capta Mons clarus, Vivinaria, ac deinde Martini fanum in collibus situm, proximumque illi Porcarium. mox in plana deducto exercitu, ac octo idus ad Lunatam pagum stativis habitis, biduo post in conspectu urbis ad quatuor stadia castra loca-

vere: totum illud spatium amplexi, quod militares vias, quarum altera Pistorium, altera Topalsium iter est, interjacet. fossisque ac vallo castris communitis; quoniam haud parvi operis futuram tam munitae urbis obsidionem videbant; ad hiberna militum pro tabernaculis casae ex materia extructae. Sed antequam militare aliquod opus aggrederentur, delendae maculae quae florentino nomini insederat, ludis a Castruccio sub ipsas Florentiae portas olim per contemptum actis, tres et ipsi cursus in Lucae portis extra teli jactum instituere: edicto, si quis urbe ad id spectaculum egredi vellet, impune futurum. Plures insana spectandi cupiditate egressi; interque eos Gobulus cum CC. quibus praeerat equitibus: ea simulatione transfugium ad hostes praetexens. Ea transitione, ut Florentinis aucti animi, ita Spinulam non parva suarum rerum diffidentia cepit, tam strenuo duce amisso, et qui praeter militarem virtutem, locorum gnarus, omnisque arcani conscius, magnum momentum ad expugnationem urbis allaturus erat. Praefectorum consilio in castris habito, cum consultatum esset, utrum vastandus ager, prohibendique a satione agricolae essent. Gobulus atroci sententia ferro flammisque saeviendum censebat. caeteri, quorum princeps totius belli

dux Obicius, mitiora suadebant. sive quod non totum civem exuisset, resideretque in hostili animo aliqua patriae caritas; seu lucensi auro corruptus, quod vitio illi Florentini vertere; abrogato paulo post eidem armorum imperio. » se probe Lucensium ingenium nosse: quos » facilius esset beneficiis quam malis vincere. » si mansuete clementerque agi secum cerne» rent, promptioribus animis deditionem factu» ros ». Cum in eam sententiam itum esset, intra sex mille ab urbe passus, velut in pacato sementes factae (nihil per militarem licentiam quoquam auso) quam cives a duce auro redimere iniquior fama erat. ac utique postquam nihil ea clementia profici, Lucensibusque pertinaciam crescere visum, tanta infamia Obicius fuit, ut abrogato illi imperio, in Cantuccium Eugubinum praetorem urbanum, totam belli summam Florentini transtulerint, hominem, ut civilium rerum callidum, ita belli artium, et militaribus ingeniis tractandis rudem, quique, ut eventus docuit, pessimo publico a legibus ad arma transierit. Igitur vastari hostiliter coeptus ager: creveratque Florentinorum exercitus sociorum auxiliis. Nam et rex Robertus, Senensesque ac Perusini, aliaeque foederatae Tuscorum gentes, praeter innumeram peditum multitudinem, quingentos quoque lectorum

equitum submiserant. Quare veluti comploratis Lucensium rebus, Phocenses, Castrum Francum, Crucis fanum clara ad Arnum oppida, ultro Florentinorum jugum accepere. Hinc optimum hostibus visum, quando et ipsi copiis validi, ac Luca Germanorum transfugio, oppidorumque deditionibus in metu esset, eam arctiori obsidione urgeri. cum praecipue bruma jam appetente, hiberno coelo per imbres nivesque omnia aegrius molirentur. Itaque urbs undique clausa, praecipue ab ea parte qua Pisas respicit: quoniam inde obsessis subvehi commeatus suspicio erat. pars copiarum Ausere superato, ad Gatajolam pagum constitit; tunc quoque aedificiorum villarumque amoenitate nobilem, cum praecipue non longe Castruccius villam hortosque regia magnificentia extruxisset. Gobulus cum suorum equitum turmis, ac praeterea peditum voluntariorum cohortibus, vicum pontemque D. Petri occupavit: munitionemque, viae qua Librafactam iter est imminentem, erexit. Lucensibus Pisarum commeatu interclusis omnia in dies arctiora erant: collatisque in commune alimentis, maligne quisque diurnum dimensum accipiebat: ut res famem potius, quam inopiam spectaret. Quapropter Spinula retineri urbem diutius posse diffisus, misit clam Flo-

rentiam, qui paratum dedere urbem significarent, si XXX. aureorum millia quanti illi emptio stetisset, solverentur. ex magnifico duce, alteroque, ut ipse per vanitatem jactabat, Castruccio, pro palam se mercatorem professus: quod non virtute atque armis, sed licitatione et pecunia decus quaesierat, vendere aequum censebat. Primores civitatis cognita Spinulae voluntate, ut gratiam occuparent, ipsi quoque quam occultissime Florentiam destinavere, qui in has leges deditionem paciscerentur. Florentinos XXX. millia Spinulae adnumerare placebat. eo profecto Augustam, tamquam tyrannidis sedem everti: Guelphosque ac Ghibellinos aequis juribus honoribusque esse. tum XXIV. e principe nobilitate equites creari, iis quingenos aureos in singulos attribui, ut Pistoriensibus factum: Lucamque in populi florentini custodia esse, eique in quinque annos vectigalia addici, .in sumptus, quos tum recuperandae, tum custodiendae urbi, creandisque equitibus facturi essent, quosque redimendis castrucciano bello captivis praecipue fecissent. quae summa ad centum millia excreverat. Dum haec aguntur, cives ad quos nullum ex his decus, utilitasve perveniret, alienae gloriae, compendiique invidia, cum omnia ad Spinulam detulissent; ortis inter ipsum Lu-

censesque suspicionibus, primo dilatum, deinde negocium omnino solutum ac discussum. Haec exitu anni gesta. Per initia insequentis (1), cum magnae in exercitu Florentinorum turbae extitissent, obsessis respirandi spatium fuit. quemdam ex gallis militibus, perlevis culpae ad Cantuccium praetorem delatum, is veluti in urbe ac inter inermes jus diceret, ferocem et armatum ad supplicium duci jusserat. vociferanti ac fidem commilitonum (DC. circiter erant) imploranti omnes sumptis armis adsunt, ereptumque lictoribus, qui obsistere tentaverant, caesis aut vulneratis medium recipiunt. inde eadem ferocia in praetorium convolant, ac duce qui furentibus se fuga subduxerat, minime invento, ignem tectis subjiciunt. qui vento adjutus, cum per contubernia tabulis asseribusque compacta late fudisset incendium, magna edita strage quartam fere castrorum partem absumpsit. occursu demum militum germanorum furentes compressi. nec dubitatur, si Lucensibus aliquid animi ad audendum fuisset, potuisse in ea trepidatione omnes hostium copias deleri. Sed afflictae res, et civium dissensio, Gobulusque, qui unus maxime id

(1) Ann. 1331.

praestare cum suis potuisset, proditione alienatus, eam opportunitatem corrupere. Sed brevi alia via Florentinorum manibus evadendi patuit. Jam superiore anno, Joannes Henrici VII. imperatoris filius ejus provinciae rex, quam Marcomanni quondam incoluere, deinde Boemiam a posteris dictam accepimus, superatis Alpibus in Italiam transgressus, specie quidem Brixianis opem ferendi, qui adversus Actium Insubrum regulum eum imploraverant, re autem Bavari partes juvandi, in Cenomanis agebat. quippe Bavarus attritis rebus, fugae potius quam reditus modo in Germaniam regressus erat: tanta trepidatione, ut ne quidem Corbarium, cujus Pontificatus fortuna ipsius stabat, appellaverit. Quare is, abjectis ejus honoris insignibus, coactus in ordinem Joannique Pontifici traditus, ab eoque clementer benigneque habitus, sub molli custodia vitam finivit. Itaque partibus suis confirmandis, spe ac promissis, ostentato etiam Italiae regno, Joannem pellexerat, ut cum exercitu Alpes transiret. quam adventus Boemi causam a veteribus scriptoribus ignoratam, Joannis Pontificis literae prodidere. Ad regem igitur jam Bergomo Brixiaque potitum, Gerardinus Lucensesque legatos misere, qui orarent, ut Lucae tot malis fessae, imperium accipere vel-

let. « in ejus sinum, tamquam in portum, » post tot belli tempestates illam confugere. » ad eum veluti parentem patriae, ac libe- » ratorem respicere. » Rex praeter felices in Gallia Cisalpina successus, etiam in Etruria tam nobilis urbis accessione laetus; « se vero » Lucenses patrio animo complecti, et tamquam » suos in posterum respecturum, legatis re- » spondit. » simulque tres oratores Florentiam destinat, qui ipsius nomine denuncient, ut soluta obsidione, exercitum ex lucensi agro deducerent. Florentini ea denunciatione perculsi, spatio interim captando, negant id arbitrii sui esse. se pontificis maximi regisque Roberti nomine arma in Lucenses sumpsisse: nec nisi eis appellatis absistere bello posse. Rex, qui non tam quod ignoraret quid Florentini responsuri essent, quam ut justam armorum causam quaereret, eam legationem miserat; ubi contumaces videt, praefectum suum cum DCCC. equitibus Lucam ire, ac vi Florentinos, ut bello absistant, cogere jubet. Florentini quibus illatarum ab Henrico ejus parente cladium, quod Arretio abstinere noluissent, memoria haerebat, veriti ne Lucae occasione paria a filio paterentur, praetori abrogato imperio, illud Beltramo Baucio detulere: viro, et regia cognatione et belli artibus claro:

quamquam saepe fortuna ejus virtuti abfuisset. Hunc e carcere insubrico nuper eductum, armis suis praefecere. quasi fatale Florentinis esset, adversus Lucenses non nisi e custodia ac vinculis, omine parum prospero, imperatorem accipere. In re nova, ut fit, magni animorum motus Florentiae extiterant: praecipuaque in invidia apud populum erant, quorum malignitate Luca iis toties e manibus elapsa, tandem in exteri magnique regis potestatem venisset: patris clades Florentinorum malo renovaturi. nulli nisi de ea re sermones in foro, in compitis, in omnibus circulis seri. illuc tamen, vetera praesentibus conferendo, omnes recidere, ut saepe alias, nunc quoque magnae alicujus calamitatis causam florentino populo Lucam futuram. Baucius ubi ad exercitum venit, cum corruptam militum disciplinam, nihil sani integrique in eo reperisset: centum etiam equitibus Arnoldo teutone duce transitione facta Lucam transgressis: praetereaque regium praefectum adventare certis nunciis afferretur, eo minime expectato, cunctis circa urbem vastatis incensisque, ab obsidione discessit, quinto mense post quam Luca obsideri coepta fuerat. In discessu Florentini, Vivinariam ante direptam evertere: Vico ad Bujanum pariter incenso ac everso;

desertisque Colle ac Cocilio, quae retinere non poterant. Praefectus regius Kalendis martii Lucam intravit, eamque regis nomine de Spinulae manu recepit. Spinula magno cum dolore discessit, imperio auroque simul amissis. Nam cum de pacta XXX. millium summa regem appellasset, ab eo insuper perfidiae, proditionisque increpitus: ostensis Florentinorum literis, quae interceptae in manus regis venerant, quibus de Luca iis tradenda agitasse arguebatur. Praefectus recepta urbe Idib. martii in florentinum agrum cum mille equitum, duum millium peditum manu per regionem ad Naevulam flumen ingressus, proruptis munitionibus operibusque, Catinensi obsidione tanto labore actis, praeter Victorinum ductis copiis, Cerretum Guidium, Collegontium, Allianamque cepit incenditque. inde per triduum in hostico moratus, passim depopulando incendendoque, hominum pecorumque praedis actis, magno Florentinorum pudore Lucam rediit. Quibus initiis asperiora etiam Florentini ominabantur. Quippe Joannes rex, cujus jussa spreverant, non Brixiae modo ac Bergomi, sed Parmae quoque, ac mox Mutinae, Regiique dominatione auctus, gravior in dies hostis imminebat. duplicavitque terrorem atrox suspicio, quasi Joannis pontificis Francorumque

regis accitu, ad occupandum Galliae Cisalpinae Tusciaeque imperium, Boemus alpes transisset: cui, quamquam falsae, non modicam auxit fidem regis legatique bononiensis colloquium ad Scultennam flumen in finibus Bononiensium Mutinensiumque; a quo multis benevolentiae significationibus, amplexu etiam atque osculó digressi, postero die simul convivium multa hilaritate celebraverant. In hoc Florentinorum timore, ita poscentibus rebus rex trans alpes regressus, Carolo filio Parmae relicto, Lucam Simoni Regalio Philippi filio pistoriensi, equestris ordinis, qui se Gaddi Montisque clari dominum appellabat, regendam commisit. Is ab injuriis Florentinorum procurationem adorsus, Bargam lucensi imperio avulsam recuperare statuit. Itaque missis illo copiis, cum obsidionem inchoasset, Florentini Americum Donatum, qui in regionis ad Naevulam praesidio erat, cum CD. equitibus subsidium ferre obsessis jussere. Donatus per tenebras profectus vix Bujanum pervenerat, cum ex insperato incurrentibus D. equitum lucensium manu, fusus fugatusque est; centum equitibus caede aut captivitate amissis. Americi clade fugaque Uzanum, ac paulo post totius regionis caput Piscia recepta. Inde regius praefectus ad ordinandam rempublicam conversus,

singulos virilis sexus in verba Joannis regis, Carolique ejus filii, qui postea adeptus imperium, libertatis parens atque auctor extitit, praesentes adegit. Juravere quater mille CCCCLXVIII. tot bellis, exiliis, migrationibusque familiarum exhausta civitate. extantque ad hanc diem ejus sacramenti tabulae, per publicos scribas Nicolaum Cagnolum et Tedicem Anguillam confectae. in quibus illud etiam humanae mortalitatis exemplum subit admirari, quod ex CCCCXCV. gentibus, quae tunc censae sunt, vix XLIV. nostra aetate supersunt: caeterarum nominibus stirpibusque deletis. Mox ad emendandas leges animi adjecti, lectique qui ei rei praeessent, quos sapientia usuque rerum insignes ea aetas tulerat; Henricus Ghivizanus, Bonmensius Barga, Paganellus Bonagiunta, Nicolaus Stiatta, ac Nicolaus Sismundus. jussu quoque regis pontificisque legati, Alamanno Obicio suadente, omnes guelpharum partium exules restituti. Haeserat Americi Donati animo clades nuper ad Bujanum accepta: quare ultionis avidus, octobri mense dum oppidani colligendis fructibus occupati essent, modico LXX. lucensium equitum praesidio, cum CL. equitum, magno peditum numero in eos invectus, volentes in fugam convertit. Nam cum oppidanis consilia hostium

patuissent, accitis Piscia CC. equitibus, ita constituerant, ut dum simulata fuga ipsi terga vertissent, illi subito ex insidiis coorti, palantes studioque insequendi disjectas Florentinorum copias aggrederentur. quod cum ita factum esset, hostes improviso malo territi, ne quidem tentato praelio, versis habenis effuso cursu Catinum profugere. capti tamen ex eis supra L. equites, cum quinque militum externorum praefectis. Inter has belli offensiones laeta Florentinis accidit Philippi Tedicis mors; quem artibus suis periisse nemini indignum visum. Concesserant sponte paulo ante Pistorienses, taedio discordiarum, infidaque Guelphorum Ghibellinorumque intra eamdem urbem societate, in potestatem Florentinorum; imperio civitatis illis in biennium permisso. quod ut pluribus triste, ita Philippo, vetere odio, acerbum maxime acciderat. Exulabat is Lucae apud affines Antelminellos. Quare tum explendis animis, tum ut se se Lucensibus ostentaret, nihil aeque moliebatur, quam ne id gaudium Florentinis sincerum liquidumque esset. Itaque tentatis quorumdam Popilliensium, qui in montanis ad fines Pistoriensium incolunt, animis; ejus oppidi occupandi spe, cum mille peditum, CC. equitum manu illuc iter intendit. ubi ad oppidum ventum, cum

aditus quo intrandum erat perangustus esset, nec equos reciperet, qui in equis erant desilientes, iisque extra relictis, oppidum intravere: maxima oppidanorum pars ejus consilii ignara, strepitu audito ad arma concurrunt, eos qui jam in oppidum irruperant vi propellunt. Interim fama strenue per agrum vulgata, agricolae undique confluunt, calles saltusque notos occupant: captisque equis qui soluti ac sine sessore extra oppidum stabant, in Lucensium copias irruunt, alios caedunt, alios capiunt: inter quos ipse Tedices, affinitate Castruccii, ac pistoriensi olim dominatu nobilis interfectus est (1). Paribus fatis Massa quoque tentata est id nobile oppidum inter Bujanum Catinumque pari ferme spatio, in laeti frugiferique collis dorso porrectum, vineis circa, oleisque medium ambientibus. caetera obtinent silvae: amnisque Bura, saepius in his annalibus memoratus, non longe ad orientem fluit, qui ex alto praecipitique monte in subjectas rupes magno impetu labens, sonorus et torrens aquas vehit. Sed nullo aeque is locus, quam incolarum ingeniis, antiqua fide moribusque memorabilis. Hunc

(1) Ann. 1332.

Lucenses, qui Bujani in praesidio erant ex insidiis adorti, occursu Florentinorum qui Catino praesidebant, caesi captique praeter eos qui fuga evasere. quatuor signa militaria equestria eo praelio amissa: communi belli Marte nunc ad hos, nunc ad illos inclinante fortuna.

Felicioribus auspiciis in feroniensi provincia pugnatum. In ea Barga summa vi oppugnabatur: operibus munitionibusque per ejus circuitum pluribus locis extructis. Praeter ingentem peditum numerum DCCC. equites in Lucensium castris erant: quare Florentini, obsessis jam ad inopiam redactis, cum universo virium robore, ducto per montes exercitu, in conspectum oppidi pervenere. Sed castra vallo aggeribusque tum praealtis latisque fossis ac caedibus arborum impervia erant: clauso ex omni parte aditu. quare hostes infectis rebus reverti coguntur. Verum paulo post, pudore irriti incepti, Spinectam Malespinam, submissis CC. equitibus pecuniaque ad belli sumptus, in Lucenses concitavere. Erat is factione Ghibellinus, sed usque a Castruccii temporibus lucensi populo infensus. Igitur cum copiis peditum equitumque, quas ipse e Gallia Cisalpina secum adduxerat, auxiliisque Florentinorum, magna solvendae ob-

sidionis fiducia Bargam advenit. Eodem tempore Florentini cum DCCC. equitibus lucensem agrum ingressi, ut a Barga obsidenda Lucenses revocarent, Cerrulium, Vivinariam, Montemque Clarum occupavere. Quibus damnis non modo minime motis, in obsidione perseveravere, sed etiam accitis Parma equestribus copiis, cum caeteris militibus qui Lucae in praesidio erant, ipse regius praefectus eo adequitavit, ut majore belli mole oppidum urgeret. Quod ubi Florentini intelligunt, relictis quae ceperant oppidis, Bargam ire pergunt, ut hinc Spinecta, hinc ipsis instantibus obsidio solveretur. Sed cum clausis undique itineribus, castris appropinquare non possent, praefectum ad pugnam elicere frustra experti, desperatione incepti, Malespina in lunensem provinciam, Florentini Pistorium concessere: Bargaque Idibus octobris deditione facta, iterum in lucensis populi potestatem venit. Constat CCC. aureorum impendio succurri Bargaeis in tempore potuisse: cum frustra deinde in eam expeditionem C. millia per summum reipublicae illorum dedecus impensa sint: Florentinis ad omnem sumptum morosis, perque avaritiam rerum opportunitates vitiantibus. quod crimen ne ab ipsis quidem dissimulatum, qui eorum res perscripsere. Laetam ea

victoria civitatem, novo gaudio per initia insequentis anni (1) cumulavit adventus Caroli, Joannis regis filii: quem Lucenses ut dominum, eaque fortuna ac stirpe genitum, summis honoribus excepere. Intravit urbem ipsis Kal. januarii, omnis ordinis sexusque obviam effusis: laetisque acclamationibus ut parenti ac liberatori plaudentibus; omen potius futuri, quam quod eo tempore meruisset. Nam id gaudium magni Lucensibus stetit, tributo XL. millium indicto: ex quibus, civium fiscis exhaustis, aegre XXV. millia redigi potuere. cum quibus, majore Lucensium quam venerat voluntate profectus, Parmam ad patrem reversus est; qui jam ex Gallia a colloquio Philippi regis Joannisque pontificis redierat. Ibi conjunctis copiis, ambo Ticinum cum duobus equitum millibus, innumera peditum multitudine in suorum subsidium profecti, qui civitate ab Actio Insubrum regulo occupata, in arcem recepti quintum jam mensem obsidionem toleraverant. Sed parum prospere tentata re, arceque ob alimentorum inopiam hosti dedita: amissis praeterea Bergomo, Brixiaque, quas Scaligeri Veronensium reguli proditione occupaverant; tam laetis initiis exitu minime re-

(1) Ann. 1333.

spondente, rex Italiae pertaesus, trans Alpes reverti animo agitabat. Praecipuus illi metus ne inexplicabili bello illigaretur, ex italorum principum foedere, cui adversus illum Bavarumque, cui favere putabatur, Robertus rex, regulique Galliae Cisalpinae, ac e Tuscia Florentini nomen adscripserant. Foedus in has leges initum erat, ut corpus MMM. equitum constitueretur; e quibus DC. Robertus rex, totidem Insubrum regulus, paremque numerum Florentini praestarent. Scaligeris DCCC. regulisque mantuano, ac ferrariensi CC. in singulos imperati, qui eum numerum explerent. Peditum iniri summa non potuit, scriptoribus eorum temporum rare illam concipientibus: cum ea aetate equestris militia unica fere in bello aestimaretur. Victoriae fructum ita inter se comparaverant: ut si arma felicem exitum habuissent, Insubro Cremona ac Domnini fanum; Scaligeris Parma; Mantuano Regium; Ferrariensi Mutina; Luca tantis votis expetita Florentinis cederet. Tantum utilitas valuit, unicum dominantibus momentum, ut acerbos antea hostes, mixtis Guelphorum Ghibellinorumque praecipuis ducibus, in unam societatem contraxerit: Florentinis Actii dexteram contingere minime veritis, quae sanguine ipsorum cum Castruccio ad Topalsium

fuso, adhuc madebat. Quibus Joannes motus, deserere Italiam meditans, quae bello amissurus erat, in compendium lucrumque vertere decrevit. tanta fortunae conversione, ut qui rex victorque, illius, quam jam spe, et opinione dominus Italiam intraverat, negotiator inglorius sordidusque excederet. Itaque cum Florentinis, Pisanisque, ac aliis etiam agere coepit, Lucamque venalem proponere. Erant in comitatu regis, tamquam obsides, Castruccii liberi: qui paterni imperii auctionem indigne ferentes, clam Parma elapsi, Lucam circa finem septembris mensis, magno clientium militumque numero, inter faustas acclamantium voces intravere: factaque per urbem decursione, biduo eam tenuere, Augusta excepta, in quam regii confugerant. Rex cognita adolescentulorum fuga, auditaque conspiratione magnis itineribus cum parte copiarum Lucam contendit. cursu tam festinato, ut cum VII. Kal. octobris castrucciani liberi in urbem venissent, ipse V. Kal. sub vesperam supervenerit. cujus inopinato adventu territi adolescentes, eadem nocte in feroniensem provinciam cum suis profugere. quos iterum rex hostes judicatos, omni honore ac jure spoliavit. Ipse cum paucos dies Lucae substitisset, corradendae pecuniae, quanta in tam angustis rebus

redigi potuit maxima; demum XXXV. millibus aureorum Petro Russo parmensi oppignerata urbe, discessit: infausta apud Lucenses nominis memoria, nisi Caroli filii beneficium, patris injuriam magnitudine vicisset. Nec caeteri qui se Joanni dediderant, feliciores Lucensibus extitere. Nam eidem Russo Parma, Folianis Regium, Mutina Piis pretio addicta. hoc obsequii venerationisque erga ipsum relato fructu, ut sub corona venirent. Russus Lucae possessione potitus, renovatisque in Castruccii liberos poenis, Nicolao Podio fanum Feroniae eripere statuit. Emerat id a regis praefecto denis aureorum millibus Podius: qui cum de jure suo regem appellasset, ejus beneficio tenuit. Joanne rege cum Carolo filio Idibus octobris trans Alpes profecto, exterorum armis dominatuque Tuscia respiraverat; cum novembri mense ingens e caelo clades extitit. Quatuor continuis diebus tanti imbres lapsi, ut uno diluvio demersis agris, non alia esset visentibus quam lati maris species. strages maxime hominum jumentorumque factae. tum, labefactatis eluvie fundamentis, plures domus collapsae, ruina sua multos oppressere. Florentiae praecipua clades saeviit, Arno in immensum aucto: cujus impetu murorum urbis pars, tres lapidei pontes, plurimae aedes di-

rutae: innumera sarcinarum merciumque copia, ex tabernis depressisque urbis locis; ac praeterea quicquid frumenti, vini, oleique in cellis conditum erat, aquarum cursum sequuto, omnes ejus fluminis accolae miserabiliter vexati, raptis stabulis armentisque, evulsis molis, sementibus quas fecerant diluvie corruptis, prorutis aggeribus, aequatis fossis, alibi aggesta praeter modum humo: ut agri vix ullam praeteritae formae speciem servarent. Eam cladem publice supra CCL. aureorum millia stetisse constat: cum privata damna longe majorem summam explerent. Verum haec calamitas, bellandi studium minime retardavit. Nam per initia insequentis anni (1), Florentini qui in regione ad Naevulam amnem in stativis erant, Bujanum usque progressi, quo propiores Lucae invadendae essent, ea loca infesta habebant. Lucenses contra ductis ad Arnum copiis, Phocenses fanumque Crucis, pecorum, armentorumque praedis actis vastavere. Quae paulo post Florentini majore damno ulti. Nam prosperis foederatorum successibus, qui Cremona capta, vastatisque Mutinensium Regiensiumque agris, Parmae obsidionem parabant, laeti; ne interim cessare

(1) Ann. 1334.

viderentur Beltramum Baucium cum DCCC. equitibus in Lucensium fines misere. qui omnia circa Bujanum Pisciamque depopulatus, Lucam usque excurrere parabat, ubi D. equites ex copiis foederatorum Parma advenissent. Sed eam quoque cladem bono fato suo Lucenses evasere. Nam patefacta conjuratione, qua quidam Germanorum Praefecti pontificii legati (erat is Bertrandus Podietus Joannis pontificis sorore genitus) auro corrupti, Mastinum Scaligerum capere ac vincire constituerant; digressuque XVIII. turmarum germanicarum, quae ejus conjurationis contagio Parmam transfugerant, turbatis in Gallia Cisalpina foederatorum rebus, in Etruria quoque constitere. Florentinisque promisso auxilio destitutis, aggrediendi Lucam nec vires nec animus fuit. Quare ad fraudes versi, proditoribus duum millium ostentato pretio, Uzanum Pisciae imminens oppidum obtinuere: unde semel iterumque in lucensem agrum, sub ipsas urbis portas, cum D. equitum, multo maxima peditum manu excurrendo magnas praedas avexere: quae auferri nequiverant, flammis aut alia vi corruptis. quod impune eis facere licuit, praeter eos qui in praesidio urbis relicti erant, omni Lucensium equitatu Parmam profecto. Obtinendi Lucam non minus impotens quam ob-

stinata Florentinorum cupiditas. Joanni regi qui illius dominatum adhuc retinebat, non mediocrem injecerat curam. Sed cum nec vires illi contra tantam belli hostiumque molem suppeterent, et validam adeo rebusque suis opportunam urbem amittere nollet, per simulationem regi Francorum Philippo se eam dono dare professus est: ut quando vi non posset, magno illam nomine a Florentinorum, Galliaeque Cisalpinae regulorum armis tueretur. Nec rex eadem simulatione magnificum donum abnuit: perque florentinos negotiatores qui Lutetiae Parisiorum erant, reipublicae magistratibus denunciavit, ut Luca in posterum abstinerent. si quid contra ausi essent, cum rege Francorum rem ipsis futuram. Turbavit ea denunciatio Florentinos, pro Lucensibus tot malorum serie afflictis, potentem adeo magnumque regem finitimum habituros. cumque ea de re Robertum regem certiorem fecissent, is literis Philippum admonuit, Boemum cassa liberalitate alieni largum, dono tradere quae nunquam habuisset. Lucam juris ipsius esse, sibique Ugutionem per injuriam eam ademisse. Ita trium regum ambitione vera falsaque Luca expetita. Nec difficile Franco persuasum, ut qui ab italicis tuscisque rebus procul, ficto muneri nomen tantum commodaverat: ob eam causam, nec misso

Lucam praesidio, nec possessione illius adita, quapropter Boemus relinquendam ratus, Russis antea pignori traditam, retento pretio remisit: intra quintum a Castruccii morte annum quatuor dominos jam perpessam. Fine anni decessit Joannes pontifex pridie Nonas decembris, aetate ac aegritudine animi ex improspero italicarum rerum successu confectus. Vir vehementioris ingenii, eoque sibi aliisque magnarum turbarum auctor. juris divinarumque rerum scientia clarus: nisi opinando periculosa et ancipitia praetulisset. Pecuniam, quantam nemo alius pontificum in aerario reliquit. quae tanta fuisse dicitur, ut centies octogies aureorum summam expleret. praeter gemmas, vasa aurea atque argentea, coronasque gemmis ac unionibus distinctas, septuagies extimatione: ut magnae auctoritatis scriptores eorum temporum memoriae prodidere. quam ingentem adeo auri vim, novo ambitus genere, sacerdotiorum expectationibus invectis, crebraque antistitum mutatione, in bellum africanum praecipue collegit. Periit anno aetatis nonagesimo, sacerdotii XIX. tanta apud posteros invidia, sacerdotalis imperii sede in Gallis retenta, quanta Clemens translata. In ejus locum suffectus est Benedictus XII. sanctimonia et gravitate morum eo fastigio dignissimus. Crescebat in dies Florentinis po-

tiundi Lucae cupiditas: quare principio aestatis insequentis anni (1), Baucius eorum dux munitione inter Uzanum Bujanumque extructa, Pisciae Bujanoque instabat: ne quid hostile ac intutum, ad obsidendam Lucam ituro, a tergo relinqueretur. Dum forte ab ea statione CL. equitum manus redit, nostri qui in insidiis erant subito coorti, terrorem primo ac fugam fecere. Verum ubi subitus pavor colligendi sui spatium dedit, inhibita fuga praelium inchoatum: in quo cum strenue utrinque pugnatum esset, superiores Florentini evasere: uno praefectorum caeso, quibusdam militum captis. Sed dum ea victoria incauti solutique metu incuriosius agunt, CC. equites Lucensium, ad primam tristis pugnae famam Piscia profecti, impetu in eos facto, socios ulti, majore clade fudere: pluribus equitum caesis captisque. Praefectorum vero unus interfectus, quatuor capti. Cum autem ex paucorum oppidorum fortuna, quantum molis habitura ipsius urbis obsidio esset, Florentini cernerent; pactione foederis, qua cautum erat ut Luca ipsis acquireretur, spem suam alebant: cui non modicus scrupulus injectus. Russi fratres, Petrus, Orlandus et Marsilius, a Joanne rege

(1) Ann. 1335.

Parmae Lucaeque impositi, cum retinendi earum urbium imperium, in tantis potentiorum cupiditatibus armisque, desperatio incessisset; clam accepta pecunia, Actio Insubrum regulo tradere moliebantur. Id vero, ubi Mastino Veronensium regulo Florentinisque cognitum, stomachari utrique, et acerbe ferre: cum alteri Parma, alteri Luca, ut dictum est, ex foedere deberetur. Quare motis animis, cum prope esset ut foedus solveretur, colloquio ad Ollium flumen habito, permissoque legatis Florentinorum arbitrio, placuit icti jam foederis legibus stari: Parmamque Mastini esse, ea conditione, ut Actio ad Placentiam Juliamque (1) obtinendam, foederatorum arma auxilio essent. Quare Marsilius Orlandusque Russi, L. millium pactione, Spinecta Malespina primum, dein Marsilio Carrariensi qui Patavinis imperitabat, sequestre, Parmam Scaligero dedidere: polliciti se cum Petro fratre acturos, ut certa pecuniae summa, explorata etiam regis voluntate, Luca in manus ejus veniret, Florentinis ex foedere deinde tradenda. Ex quo tempore palam cum Petro Russo de Luca dedenda agi coeptum: Scaligero apud legatos Florentinorum, quibus

---

(1) S. Donnino.

id suspiciosum, se ea illorum reipublicae causa agere professo. proinde omni cura vacuos esse jubere, ipsiusque fidei acquiescere. si Russus promissis non stetisset, se D. equitum manum in eorum auxilium obtinendae Lucae missurum. Quae omnia per fraudem ac simulationem a Scaligero acta, ut vana spe inflatos securius falleret. Dum Mastinus inanibus promissis Florentinos ducit, non deerant ex civibus, qui fatis contra tendentibus, inexplicabilis servitutis laqueos ultro civitati injicerent. Obtinebat, ut supra memoratum est, Feroniae fanum Nicolaus Podius, a regio praefecto X. millibus aureorum emptum. is seu retinere oppidum posse diffisus, sive promissis Florentinorum captus, praeter arcem illud tutelae eorum permisit: qui in praesidium cum CCC. peditum, C. equitum manu Gerozium Bardum eo misere. Neque tamen ejus oppidi, tam rebus ipsorum opportuni, possessio diu Florentinis mansit. Nam Mastino jam Lucae dominatu potito, Podius XI. millium pretio, pulso inde Florentinorum praesidio, fanum Feroniae tradidit: haud diu tamen eo compendio laetatus. Nam intra annum vertentem a Mastino proditionis insimulatus, quasi cum Florentinis sentiret, ea pecunia bonisque omnibus exutus, et auro et oppido caruit. Inter haec magna con-

certatione utrinque acta re, tandem Petrus Russus fratrum voluntate victus, quamquam gravate et cunctanter, ea summa qua ipse a Boemo redemerat, Lucam Mastino remisit: excedensque XIII. Kal. januarii, eam Gilberto germano qui in praesidium cum D. equitibus advenerat, ejusdem nomine tradidit: Mastino, et literis apud Magistratus, et voce apud legatos Florentinorum, qui identidem de ea re illum appellabant, se Lucam eorum gratia habere sancte professo. Verum is tam validae urbis imperio potitus, animum ad Etruriae totius dominationem adjecerat: Castruccii exemplo, qui eam ad tantas opes fortunamque gradum habuisset. Quare saepius a Florentinis fidei promissorumque admonitus, ac novissime celebri sex principum totius civitatis legatione appellatus, primo per ambages circuitusque verborum, alias atque alias causas afferendo, eos extrahere: demum impendia causatus, quae in Russos fecisset, facturusque esset emendae Boemi regis irae, ea venditione trucis, ingenti pecunia se daturum spopondit. Florentini (tanta obtinendae Lucae cupido incesserat) eo tandem venere, ut CCCLX. millia, partim praesentia numeraturos, partim nominibus perscripturos, vadesque ac praedes Venetiis daturos, paciscerentur. tantam

auri vim profundere in ejus urbis licitatione coacti, quam a germanis equitibus, deinde a Spinula, tanto minore summa redimere per avaritiam discordiasque neglexissent. Dum ea pecunia redigitur, tabulisque emptionis conficiendis procuratores creantur (1), Scaliger accitis legatis novas pactiones ferens, haud sibi pecunia opus esse, ait, qua etiam abundaret: Lucam gratis remissurum ea lege, ut Florentini Bononiae occupandae illi adessent, aut saltem bello eam petenti non obsisterent. Florentini fallacis hominis ingenio tandem perspecto, tamque propinqua spe, ut ipsi putabant, dejecti, pudore simul ac ira tam diuturni ludibrii, revocatis oratoribus, ultionem ac arma decernunt. Sed Mastinus apparatus eorum praevertit: ultroque milites qui Lucae in praesidio erant, in regiones ad Arnum Naevulamque immisit, agrosque Florentinorum magna clade vastavit: addita etiam minaci denunciatione, se majo mense cum MMMM. equitum ad Florentiae portas affuturum. Nec ea per vanitatem jactasse videri poterat. Quippe Mastinus ea aetate omnium Italiae tyrannorum potentissimus habebatur: Veronamque, Bri-

(1) Ann. 1336.

xiam, Patavium, Vicentiam, Tarvisium, Parmam, Mutinam, Lucam, aliasque urbes imperio complexus, DCC. millium annuo censu magnorum regum opes aequaverat: interim Florentini metu ne Mastinus Arretio potiretur (id enim cum Petro Tarlato qui Arretinis imperitabat, clam agere, fama vulgaverat) ipsique, praecipue si Scaligero Bononiam capere datum esset, veluti compedibus constricti undique tenerentur; violata pace una cum Perusinis arretinum agrum ingressi, usque ad urbis moenia late depopulati magnam cladem intulere. Tum Mastino detinendo, inito cum Venetis foedere, arma illi indixere: ut domestico bello implicitus, etruscarum rerum curam abjiceret: ipsisque ad occupandam Lucam spatium liberius relinqueretur. Sed non ideo territus Scaliger DCCC. equites per Bojorum fines in subsidium Arretinorum submiserat: quique Lucae in praesidio erant, CD. equites cum magna peditum manu Bujano noctu egressi, Cerretum Guidium adorti, vicisque oppido continentibus incensis eversisque, agroque circa vastato, corruptisque aut avectis frugibus quae adhuc in agris erant, praeda onusti, nemine obvio Lucam redierant. Nec diu post, Ciupo Scolario florentino exule duce, iterum Luca profecti DCCC. equitum multoque major peditum

numerus, trajecto Arno Vicum Florae, adjectaque Miniatensibus loca depopulati, aedificiorum villarumque incendiis rapinisque, amoenos frequentesque agros solitudinem fecere: biduum stativis ad Martinianum habitis, sub ipsis collis cui Miniatenses insident radicibus. Sed cum interea Florentini collectis militibus, qui Emporii, caeterisque in oppidis ad Naevulam Arnumque sparsi, in praesidiis erant, plures numero sub signis haberent, Lucensium copiae, metu ne multitudine obruerentur, clausaeque aggeribus concaedibusque, quas ad prohibendam fugam hostes jam admoliti erant, in medio deprehenderentur; nullo militiae ordine, disjectae solutaeque, qua quisque potest, sibi consulunt. Quidam onusti praeda in hostem incidere, alii Guissianae paludibus submersi, quidam per pisanum agrum palantes, gravitate coeli per aestivum tempus morbo absumpti. Constat, si Florentinorum equitatus, fugientium tergis acrius institisset, omnes ad unum in potestatem hostium venturos fuisse. Feliciorem Mastini arma in Apuanos Ligures mota exitum habuere. Petrus Russus Parma Lucaque Mastino traditis, Apuae, nonnullisque aliis, quae retinuerat, Galliae Cisalpinae oppidis imperitabat. Is, ut suspiciosae ingrataeque mentes tyrannorum sunt, coeperat Scali-

gero esse suspectus. sive ea simulatio erat, ut tamquam proditionis reum reliqua fortuna exueret. Itaque, ne e Gallia Cisalpina in Etruriam descendentibus claustra, suspecti hominis praesidiis tenerentur, Spinectam Malespinam cum D. equitum, mille peditum acie Lucam miserat, cum mandatis ut Apuam, Russo dejecto, in veterem lucensis populi ditionem redigeret. Malespina lunensi arce occupata, positis ad Apuam castris, oppidum obsidione circumdedit. Petrus dum Apua obsidetur, mutatis vestibus, cum uno tantum socio per medias hostium custodias stationesque elapsus, Florentiam venit. ibi multa de Mastini perfidia ingratoque animo apud iniquas, jamque tyranni odio imbutas Florentinorum aures conquestus, operamque suam ad ulciscendum communem hostem pollicitus; ut erat manu et consilio strenuus, accedebatque ab ira ac injuria virtus, facile ab infensis impetravit, ut, ne dum belli socius, sed etiam dux legeretur. quod Florentinorum judicium Veneti quoque sequuti, forti iratoque homini armorum suorum imperium detulere. Russus uti recens a Lucensium dominatu erat, sive clientum amicorumque ope aliquid moliri posse ratus: sive poenitentia ac dolore amissae tam clarae urbis, in ultionem accensus, ante quam in Ve-

netos proficisceretur, primos belli impetus in Lucenses effudit. tum etiam Apuae liberandae optimum visum, si Luca bello arderet. Itaque lucensem agrum ingressus, primo die ad Capannulas positis castris, omnem circa regionem caede arborum, villarumque incendiis vastavit. Inde propius urbem admotis castris, occupato super Aesarem Quirici ponte, per triduum amoenos frequentesque lautis aedificiis colles depopulatus, simili clade desaeviit. Mastini praefectus, qui in praesidio urbis erat, pugnae impar, cum DC. equitibus, magna peditum multitudine ad occupanda itinera unde subsidia commeatusque Florentinis subveherentur profectus, ad Cerrulium in aditu regionis ad Naevulam amnem consedit: ratus hostem, ubi alimenta defecissent, sua sponte excessurum. Russus cognito Lucensium consilio, signa retro ad hostem convertit. cumque ad fossam castrucciano bello a Raymundo Cardona ductam pervenisset, octo Lucensium vexilla in adverso margine transitum prohibitura reperit. ibi suos paucis adhortatus, tantum ardorem animis injecit, ut certatim fossam transgressi, nostros in altera ripa stantes proturbarent, ac in oppidum compellerent. Dux loco pepulisse hostem contentus, signum receptui dari jussit. Sed tantus erat militum

ardor alacritasque victoriam prosequendi, ut contempto ducis imperio (quod maxime in bello peccatur) spe potiundi sub ipsa usque Cerrulii moenia ascendendo evasere. ubi portas patentes conspiciunt, fuga desertum oppidum rati, inexplorata re, eadem temeritate ingressi, a nostris, qui jam collectis animis per suos ordines conferti in armis stabant, excepti, passim trucidantur: inter quos Gerardus Teutonicus turmae vexillarius. alii supplices in deditionem recepti; interque eos quatuor Germanorum equitum praefecti: actumque praeclare cum Lucensibus erat, nisi Mastini praefectus successu elatus, ultro hostem lacessendo, bene gestae rei fortunam corrupisset. Nam commisso cum caeteris copiis praelio, cum acriter utrinque pugnatum esset, tandem victoria ad Florentinos inclinavit: captusque ipse cum XIII. Germanorum praefectis, nonnullisque signis militaribus, ac in triumphum ductus. secundum eam pugnam Russus in Phocenses, ac inde Florentiam concessit: ubi Venetorum literis, quibus eum imperatorem adversus Mastinum creatum significabatur, acceptis, ad id bellum profectus est. Interim Apuam Malespina obsidione urgebat. cui solvendae cum Florentini, serum auxilium, Orlandum Russum cum MCCC. equitibus, tribus peditum millibus sub-

misissent, is adventu suo deditionem ab oppidanis alimentorum inopia facta reperit. Quare conversis signis Florentiam rediit, occulta Florentinorum ira. quippe remissior plus aequo visus; vastandoque lucensi agro, pro eorum voluntate haud perinde saevus. benigne tamen in speciem; cumque eo nobiles feminae Russorum conjuges, quas Apua secum adduxerat, cum honore exceptae. Male ad Apuam gestae rei solatium insequens annus (1) Florentinis attulit, Arretio Tarlatorum deditione recepto: quibus inquieta ac turbida dominatione, ob assiduas pertinacesque Florentinorum molestias, XXXIX. millium aureorum pretium potius visum.

Sed nullis incrementis satis sibi aucta Florentinorum ambitio videbatur, donec Luca deesset. Itaque dum in Gallia Cisalpina, socialibus armis Mastini dominationem Petro ac Marsilio Russis ducibus carpunt, exeunte vere hujus anni, Orlandum Russum vecordem ac stolidum hominem, rursus in agrum lucensem immisere. datum id honori fratrum, quorum virtus, illius inertiae obtentui erat. Hic cum DCCC. equitibus, magnaque peditum manu, regionem Naevulae fluvio adjectam ingressus, Bujanum, Pisciam, aliaque ejus tractus oppida

(1) Ann. 1337.

ingenti clade affecit; ac obsistente nullo, trans Aesarem usque ad urbis moenia progressus, uberes cultosque agros, sub ipsum messis tempus maturis jam frugibus, depopulatus, anni spem ferro flammisque corrupit. haud impune laturo milite inordinato et incondito, cuique ducis imperitia vires minuebat, si iis qui in urbe erant aggrediendi fuisset audacia. Erant in exercitu Florentinorum, praeter eam manum, Roberti regis, Senensium, Perusinorum, Bononiensium, aliorumque regulorum aut gentium foederatarum auxilia: ita ut praeter innumeram peditum multitudinem, equitatus duo millia expleret. Sed auxiliares copiae, ut quae foederi contra Scaligerum nomina non dedissent, lucensi agro abstinuere: ac Miniate in ejus oppidi praesidio restitere. Nec diu Orlandus Florentiae mansit. Nam fratribus, Petro ex vulnere, Marsilio morbo ac aegritudine animi, intra octo dies extinctis, a Venetis evocatus, in Galliam Cisalpinam ad exercitum profectus est: Florentinique Malatestam juvenem, ex Ariminensibus dynastis, ejus loco ducem ad lucense bellum legere. Externo bello civilis discordia tamquam malorum cumulus miserae civitati accessit (1). Forteguerrarum gens, opibus

---

(1) Ann. 1338.

ac numero virorum potens, inter se dissidebat: privatis causis, commune sanguinis vinculum, ut evenire solet, vincentibus. Itaque ex una parte Paganus, Tottus, Landusque: ex altera Bettucius, Forteguerra, Michael ac Nicolaus stabant: magnaque utrinque clientum amicorumque manu, ad arma caedemque procurrerant. mortiferumque, aegro jam ac tabente corpore, eo die respublica vulnus accepisset, nisi praetoris urbani occursu, (Franciscus Comes Gangalandus is erat) furentum manibus gladii, animis extortae irae concidissent. Itaque pax inter consanguineos composita: malumque simul exortum extinctumque est. Ut civilia odia externum bellum oneraverant; ita iis positis externa quoque arma quievere. Mastinus tam ampli modo clarique imperii dominus, amissis Brixia, Patavio, Feltrio, Belluno; obsessa Vicentia; insuper Alberto ipsius fratre capto, ingenti pecunia in bellum profusa, tam prope a privato aberat, quam antea a rege. Itaque ruentem fortunam fulcire aggressus, (1) Venetos, et ipsos sumptibus taedioque fessos, cum praecipue amplissima belli praemia ad alios pervenire cernerent, Carra-

(1) Ann. 1339.

riensibus Patavio, Insubrum regulo Brixia auctis; per nuncios tentare coepit: quibusdam etiam principum, auro corruptis. « nihil se » commisisse in eorum rempublicam, ut Flo» rentinorum gratia eum perditum vellent. » quid causae esse, ut qui ghibellinarum par» tium semper extitissent, nunc pro Guelpho» rum pertinacissimis arma caperent: proxi» mumque et finibus, et ejusdem factionis » studiis, pro alienis exterisque vexarent? si » pacem secum inire velint, Tarvisium, Castrum » Francum, Bassanumque ipsis remissurum: » eosque perpetuos amicos patronosque for» tunae suae habiturum. » Accedebant Pisanorum, eorumque qui ghibellinarum partium Lucae plurimum poterant, preces; amplissimae reipublicae patres, romanaeque libertatis posteros enixe orantium, ne Lucam in Florentinorum manus venire paterentur. Quibus moti Veneti, clam Florentinis in eas leges cum Mastino pacem conficiunt: legatisque Florentiam missis, si eam ratam habere velint, curaturos se ut Scaliger quae oppida Lucensium teneat, libere iis remittat, Piscia Bujanoque adjectis, significant. Sin ea pax displiceat, ipsos suis auspiciis suoque periculo bellum in posterum gesturos: Venetosque pro Mastino, tamquam pro socio atque amico, arma in eos

laturos. Florentini ea denunciatione, tamquam fulmine, icti, sanguinem vocemque amiserant. Sed ubi animus rediit; « enim vero id acer-
» bum indignumque clamitare: seque a Venetis
» desertos proditosque palam queri: ac jusju-
» rândi vim, foederumque ultorem Deum invo-
» care; uno et trigesimo mense quam cum iis
» foedus initum sit, eorum amicitiam sexcentis
» millibus florentino populo stetisse. Venetos
» post quam auro sociorum, urbibus oppi-
» disque aucti sint, hanc eis gratiam referre.
» hanc esse fidem eorum, qui se romano san-
» guine ortos, qui italae libertatis patronos,
» qui maris dominos jactent ». Haec ferociter impetu irae jactata. Ubi ad consultationem sententiasque in curia ventum: aliis per eamdem ferociam elatis, bellumque et arma suadentibus; qui sedato ingenio, sapientia fortibus praeferebant, « conditiones quae a Venetis
» ferrentur, non cupiditate, sed tempore aesti-
» mandas dicere. quae turpia ac iniqua sint,
» necessitate aequa ac honesta fieri. civitatem
» collationibus impendiisque exhaustam esse.
» Rempublicam aere alieno oppressam, supra
» quadringenta quinquaginta millia privatis de-
» bere; si ea pax respuatur, bellum cum Ma-
» stino Venetisque habendum: quorum sin-
» gulis, etiam integra republica, vix pares

» sint futuri. quae offerantur oppida, valida, » et in ipsis lucensis agri visceribus: ubique » se se occasio dederit, consiliis suis oppor- » tuna. certam rem, quamquam exiguam, pro » magna incertaque spe accipiendam. » Haec sententia vicit: Venetorumque beneficio, Luca iterum e faucibus Florentinorum erepta: pax igitur in eas leges confecta; magnâ lucensis agri diminutione, cui pulcherrima ac validissima oppida adempta. Ea fuere: Phocenses, Toporium, Castrum Francum, Crucis, Mariaeque fana ad Arnum: ad Naevulam vero, Catinum, Summanum, Victorinum, Massa, Cocilium, Uzanum: quibus Piscia, Bujanum, Topalsiumque adjecta. ad Limam vero amnem, Castrum vetus, Vellanum, Buranumque florentinis cessere. Pisciensium ac Bujanensium praecipue fides amorque in lucensem populum emicuit. quorum oppidorum plures principesque familiae novos dominos aspernatae, Lucam migravere: quibus, pro merito eorum, civitas a senatu data. Piscia Garzonii, Puccii, Vannii, Nuti, Serfederici, Puccini, Landi, Lippi, Ursuccii, Jacobi, quibus deinde Cittadelliis cognomen fuit: Bujano Martinii, Pieriique profecti. quorum posteri plerique manent: nonnullique ad summos honores opesque pervenere. Ita demum, decimo quam inchoatum erat anno Flo-

rentini magna sua clade deinde repetendum, lucense bellum omisere: ea urbe tam dementer toties post concupita, quam antea spreta. Neque ex ea parte solum lucensis ager diminutus. Verum etiam in montanis paulo post damnum acceptum: Florino, caeterisque Frinianae regionis oppidis, ad Obizum Ferrariae Mutinaeque regulum voluntaria deditione transgressis. Pace in hunc modum sancita, Mastinus Lucam sibi visendam, civiumque animos praesentia sua confirmandos in obsequio ratus, Florentinos magnis suspicionibus implevit. noto fallacis hominis ingenio, pacem amicitiasque non ex fide, sed ex utilitate colentis. Quare stationes vigiliaeque, tam ad fines, quam in urbe intenta cura agebantur. Verum brevis mora, cito metu illos absolvit: malumque ejus adventus uni Lucenses sensere. Nam quos ob praeteritos labores, imperiumque ipsius strenue armis assertum fovere debuerat, grandi etiam, ut attritae vires erant, XXV. millium aureorum summa multavit. ordinatisque ad arbitrium rebus, Gulielmum Canacium bononiensem Scannabeccorum stirpe, in urbe praefectum reliquit. Quieta aliquando externis armis republica, ad impetrandam caelestium pacem, quorum tam manifestae irae, aliis super alia malis saevierant, animi adjecti. Jam diu ob ghibel-

linarum partium, bavarique, ac creati vitio pontificis studium, obligata civitas religionibus erat (1). nec falsa conjectura, tot calamitates continenti clade acceptas, optimus quisque eo referebat: quare ei solvendae senatus, cujus amissa libertate aliqua species manebat, legatos in Galliam ad Pontificem maximum destinavit. Ivere Joannes Sbarra, humani divinique juris scientia clarus, Petrus Bujamontius, Bonagiunta Tignosinus, et Andreas Bertus. quibus additus e sacro ordine Henricus Camajorensis, ex honestiore basilicae Martinianae collegio, qui pontifici inter aulae ministeria scribendo aderat. Hi publice in senatum purpuratorum admissi, veniamque praeteritorum orantes, clementer excepti auditique, his legibus impetravere. ut ara in D. Benedicti honorem in Martiniana basilica extrueretur: quique ad eam quotidie sacrificaret sacerdos constitueretur: tot agris praediisque e publico attributis, unde XXX. aureorum reditus ei alendo proveniret, tum vestes ac vasa, caeteraque ornandae arae, e publico suppeditarentur. Statoque ejus divi die, summus reipublicae magistratus, sacerdoti celebri cultu ad eam operanti quotannis

(1) Ann. 1340.

adesset: ejusque beneficii memoria e loco superiore concioni in mentem revocaretur: ac mille egenis totidem panes librales dividerentur. Quarum rerum sacerdotium tantum hac aetate manet, caetera obsolevere. Ara quoque, publicarum rerum, ut fit, incuria, eversa, titulo saepius alio translato. Leges etiam in sacrum ordinem latae, vectigalia imposita, tributum in viarum pontiumque muniiones imperatum; quaeque alia jus sacrorum hominum locorumque laederent, rescissa. Nec publicae religioni privata quoque defuit. Conduxerat, ante annos fere octoginta, collegium mercatorum, curandis aegrotis publicam domum; pecuniasque ac praedia attribuerat: ne pium opus ullo tempore interiret: Henrico qui tunc sacris Lucae praeerat, egregiam ejus corporis hominum voluntatem approbante. Sed cum et temporum iniquitate et praefectorum socordia, ea bona intercidissent, hoc anno idem collegium nova liberalitate CD. aureos contulit: curatoribus Jacobo Galganecto, Nicolao Busdrago ac Lemmo Catrignelio: tabulaeque coram Gulielmo antistite ea de re publice confectae. Neque hic privatorum erga religionis cultum liberalitas stetit. Nam eodem tempore Gardus Bartholomaei Aldibrandi filius, monachis carthusiensibus domicilium apud Farnetam

pagum ad occidentem, tertio ab urbe lapide, aedificavit: censu denis ejus ordinis alendis collato. ubi caelesti vitae genere, tamquam a rerum natura abdicati, exulesque mundi, ad hanc diem summa religione cultusque asperitate degunt (1).

Interim Florentinis obtinendi Lucam in dies cupiditas augebatur; nec fortuna cupientibus abfuit. Nam cum Roberti regis Luchinique Insubrum reguli consilio, Actius Corrigia Parmam a Mastino per defectionem alienasset; Scaliger ea urbe amissa, quae e Gallia Cisalpina in Etruriam descendentibus veluti limen est; abjecta spe retineri Lucam diutius posse, intercluso in eam aditu, cum Pisanis Florentinisque de ea pactiones inire instituit. Duplex Florentinorum cupiditatem spes alebat. Nam et Pisanis pecuniosiores, avari hominis, et ex magna fortuna egentis animum facilius expugnaturos rebantur: et si parcere sumptibus voluissent, ac pro auro arma adhibere, Insuber mille equitum auxilium, parvo impendio, in bellum pollicebatur. Sed mercatores meliores quam milites, compendiaria certaque via ire decrevere: incerta belli, Martemque

(1) Ann. 1311.

communem veriti. Quare conciliante Opizo Estensi Ferrariae regulo, datisque utrinque obsidibus, inter quos Joannes Villanus se fuisse memorat, Luca a Mastino Florentinis divendita. de pretio inter auctores non convenit: aliis alia tradentibus. Florentini scriptores CCL. millium summa eorum reipublicae Lucam stetisse, memoriae prodidere. quam in speciem, deterrendisque ab emptione Pisanis auctam, nostri non dubitant: cum Mastinus multo minoris Lucensibus ipsis liberam civitatem remissurum professus esset: si etiam mediocri impensae temporum acerbitas locum reliquisset. Quod si revera a Florentinis eam summam Scaliger tulit: nae ille sapiens fortunatusque, qui tanti lites bellumque distraxerit: Luca nec ejus qui vendidit, nec futura eorum qui redemere. Nam Pisani, ut pecunia impares, ita propinquitate et paratis armis superiores; dum Florentini nummis Lucam licitantur, ipsi bello ac obsidione illam interim petivere. Praeter cupiditatem augendae dominationis, potiendique urbe ex tam longo tempore aemula, cuique paulo ante servierant, movebat Pisanos ghibellinarum partium studium: filiosque Castruccii in aliquem paternae fortunae gradum restituendi cura: ut eorum, quique illorum partis erant favore, ad Lucam obtinendam

uterentur. eaque simulatione ad Luchinum Insubrum regulum literis datis, commemorata vetere patris amicitia cum familia Vicecomitum; ne ex tanto fastigio dejectos exulare pateretur orantes, mille auxiliariorum equitum manum ab eo impetraverant. Proditione etiam ac scelere amicitia illius empta: traditis Francisco Pusterula cum duobus liberis, quos antea in fidem receperant. qui Mediolanum missi, ac securi percussi a Luchino, cujus perire eos intererat. quamquam pisana fides ad ultimum patuit: pulsis ejectisque, quorum misericordia arma sumpsisse videri voluerant. Erant in exercitu Pisanorum, praeter auxiliarem Luchini mille equitum manum, alia quoque Ghibellinorum subsidia. Nam Mantuae regulus CC. totidemque equites Patavio Carrariensis submiserat. Parma CL. aliique a Guidis regulis Ubaldinisque, ac Foroliviensibus dynastis advenerant. a Genuensium quoque duce Buccanigra multos pedites, ac CCL. equites acceperant: trecentosque ipsi e civibus armaverant. Quare super ingentem peditum numerum, equitatus tria ferme millia explebat. Cum his copiis Pisani lucensem agrum ingressi, trium millium aureorum pretio Cerrulium Montemque Clarum ab iis qui Mastini nomine praesidebant, obtinuere: intercludendo ab ea parte Floren-

tinis aditu. Inde ad obsidendam urbem conversi, ab Ausere usque ad Aesarem infra supraque, sex millium passuum spatium, vallo pluteisque ac caeteris militaribus operibus complexi, clausere: inde per urbis circuitum ingentis admirandique operis fossa perducta, aggere vallisque eam munivere; ita ut nemo aut exire, aut intrare urbem posset. Intra hanc duplicem munitionem tribus locis castra locaverant, nullo prohibere auso. Nam Florentini emptioni magis quam bello intenti ad inopinatum malum torpebant: nec dum collectis viribus, dare se in discrimen pugnae audebant: nec Lucae praeter D. pedites, ac CL. equites in praesidio erant, ducibus praefecto Canacio, Bonetto Germano, Friniano Sessio, et Ciupo Scolario florentino exule: quibus tueri urbem satis erat. cum insuper Canacius rem ad Pisanos inclinaret: ea quoque causa, aliis ducibus obsidionis substinendae relicta cura, ad Mastinum profectus. Florentini cum, profuso auro, bellandum sibi insuper cernerent, quanto salubrius consuluissent, qui Lucam armis potius quam pecunia tentandam suaserant, sero intellexere. Itaque ad colligenda undique auxilia, bellumque apparandum adjectis animis, et ipsi magnam equitum peditumque manum comparavere. bis mille equites

ipsi sub signis habebant. Senenses publice CC. Guelphi nobiles privatim centenos miserant: adjecta CC. ballistariorum manu. Bononia CCC. equites: Ferraria CC. Perusio CL. advenerant. alias quoque turmas, ut quaeque valida, gentes Gallicae (1) Tuscaeque partium guelpharum submiserant. nec defuerat Mastinus, CCC. equitibus in emptorum subsidium ire jussis. Harum copiarum, quae trium millium sexcentorum equitum, decem millium peditum numerum explebant, Maphaeo Carradio (2) brixiensi Florentini imperium detulere. qui, ut belli artium non plane rudis, ita impar tantae moli, nec cuiquam praefectorum, qui in exercitu erant comparandus. Quod factum est inscitia atque ambitione eorum qui rempublicam gerebant. quibus cum sapiens Roberti regis consilium, quo ut Luca abstineretur suaserat, displicuisset, de industria ducem regio sanguine ortum vitaverant: tamquam suspecta fide et regis, et amici, et tunc maxime utilia suadentis. Hoc igitur duce exercitus in Phocenses ac adjecta Arno flumini loca procedere jussus. Sed antequam bello armisque ageretur, legatos mitti

(1) Romagna.

(2) Da Ponte Carradi.

placuit, qui Pisanis denunciarent, ut ab Luca florentini jam imperii urbe abscederent: foederisque non ita pridem icti admonerent, quo nominatim de ea re cautum erat. Sed cum nihil aequi bonique a Pisanis impetratum esset, copiae in eorum agrum immissae: unoque impetu oppidum ad Aeram flumen captum, occupata Arni fossa, cunctaque circa usque ad secundum a Pisis lapidem ferro flammisque vastata: hominum pecorumque, omnisque generis praedis actis. Neque ideo Pisani calamitate suorum moti ab obsidione recessere. Florentini ubi Pisanos perstare in incepto vident, parte copiarum per regionem ad Naevulam amnem, parte per photensem saltum, Topalsiumque in lucensem agrum immissa, in collibus quos feminarum appellant, circa Granianum castra locavere. Ibi parvis praeliis cum Pisanorum praesidiis, quae ad Subgromineum fanumque Januarii erant, dum nullo satis digno pretio, mutuas clades accipiendo inferendoque tempus terunt, Pisani hostium adventu cognito, tribus, quae circa urbem locaverant castris in unum collatis, quo ad obsistendum, junctis viribus, paratiores essent: obsessaque arce ad Pontem Tectum, quae adhuc a Lucensibus tenebatur, vi tandem obtinuere. Interim Florentini a Scaligeri procuratoribus

Barga ac Feroniae fano receptis; signo quod convenerat, ex augustae turribus conspecto, cum CC. equitum D. peditum manu, noctu ad urbem procedunt. Eodem tempore qui in praesidio arcis erant egressi, ab utraque parte Pisanorum opera ex improviso adoriuntur: aggerem proruunt, vallum excindunt, fossas complent: Pisanisque ad repentinum impetum trepidantibus, praesidium Florentinorum intra arcem recipitur. Ibi X. aureorum millibus stipendii nomine praesidiario Mastini militi persolutis, arcis civitatisque possessionem ab illius procuratore (Henricucius Pegolottus exul florentinus is erat) Joannes Medices, Haddus Oricellarius et Russus Riccius florentini populi nomine accepere: quorum Medices, qui praesidii praefectus destinatus erat, equestri dignitate auctus. Fama ejus rei strenue Florentiam perlata, cum praeter spem, ex tam longo tempore concupitae urbis dominatione, fortuna eos tandem voti compotes fecisset; omnis ordinis aetatisque, viri, feminae, palam gaudio efferri. adeoque impotenti laetitia sublati omnium animi, ut tum demum se Florentinos, totiusque Etruriae principem populum arbitrarentur: tamque valida, ac tamdiu imperii emula urbe recepta, totius Etruriae dominatum spe ac opinione praesumerent.

Sed ne solidum ejus laetitiae fructum caperent una res obstabat: nihilque actum videbatur, donec pisana arma Lucam circumsiderent. itaque praecipiti consilio ducibus imperatum, ut cum omnibus copiis ad urbem ac pisana castra progressi, pugnae discrimen tentarent. Hoc accepto imperio, duces e collibus in plana deducto exercitu, Kal. octobris ad Aesaris ripas intra mille passus ab hostium munitionibus substitere. Pisani, quibus ob tutum intra vallum ac munimenta receptum, aequiora omnia erant, primi ad pugnam hostes excivere. nec a Florentinis, quorum ea una cupido prava ambitione invaserat animos, detrectatum. Itaque postridie Kal. octobris, utrinque instructae acies, aequatis late campis, ut tuto pugnantes consistere possent, in praelium processere. Duplex Florentinorum acies erat. in prima mille ducenti equites locati, in quibus Bonettus Germanus cum auxiliaribus Mastini, Gibertus Folianus Frinianusque Sessius cum Senensium turmis stabant. ad eorum latera tria millia ballistariorum opposita. Haec primi agminis forma erat, quod Maphaeus ipse, penes quem armorum imperium, ducebat. In altera major peditum numerus, cum mille sexcentis equitibus positi: quorum vexillum Joannes Vallina

eques gallus praeferebat: in eaque Tarlatus, dynastaeque volaterrani filius, ac e Florentina nobilitate Albertus Ricasolus, Joannes Tosa, Franciscus Brunellescus, Berna Russus ordines ducebant. Pisani, quibus major copiarum numerus, tripartito agmine aciem instruxerant. primum octingentis equitibus constabat: quorum latera ingens ballistariorum genuensium populariumque numerus tegebat. alterum mille octingentis equitibus validum Joannes vicecomes Luchini frater regebat. in tertio quadringenti equites ad tutelam castrorum locati; ducibus Francisco Castracane et Ciupo Scolario florentino exule: ne dum acie pugnatur, praesidium quod in arce erat, a tergo terrorem inferret. Ubi signa concrepuere, magno impetu utrinque in praelium procursum. Atrox inter primas acies pugna: adeoque ferociter pisani equites in Florentinorum equitatum invecti, ut eos magno spatio repulsos cedere coegerint. Sed illis pudore ac ira pugnam instaurantibus, cum permixti equitibus ballistarii, multis equorum vulneratis ingentem tumultum edidissent, versa fortuna, Pisani obturbati: aliis in secundam aciem, quibusdam solutis ordinibus effusa fuga se intra munimenta recipientibus. Nec melioribus auspiciis in secunda Pisanorum acie pugnatum. Nam cum diu acriter substentatum esset, neutro inclinante

victoria, tandem interfecto Signifero, dejectoque in terram vicecomitum vexillo, tota acies labare coepit. ac utique postquam dux ipse Joannes vicecomes cum Henrico Castruccii filiorum natu maximo captus, in potestatem hostium venit: alii quo quemque suus timor agebat, arripere fugam: alii servatis ordinibus in tertiam aciem recurrere, quae nihil mota suorum periculo, in praesidio castrorum obstinate persliterat. Scolarius ubi jam duabus victoriae partibus potitos hostes videt, viribus diffisus, ad artes confugit. Sub ipsum pugnae initium Florentini impedimenta ac sarcinas vehiculis jumentisque imposuerant; ut si quae adversa belli fortuna incidisset, expeditior fuga esset, hostesque praeda minime potirentur. Ea res callido homini fraudis materiam praebuit. Itaque clam turbam calonum lixarumque in hostium impedimenta immisit, qui cum facile linguae communione fefellissent caeteris permixti, ex improviso inclinatam Florentinorum aciem clamitando, tantum terrorem injecere; ut qui ad sarcinarum custodiam stabant, velut lymphati subita trepidatione fugam arriperent. fidemque mendacio fecerat equitatus Florentinorum, qui Pisanos insequendo, fugientium speciem consternatis praebuerant. Itaque passim tota acie trepidari coeptum. nec ullis cla-

moribus fraudem aperientium, aut vi occurrentium sisti fuga potuit: quamquam ad caeterorum terrorem quibusdam caesis: surdo ad omnia metu; et quorum semel animos occupavit, sibi tantum credi cogente. Scolarius Castracanusque rei gerendae tempus adesse rati, in primam Florentinorum aciem pugnando insequendoque fugientes fessam palantemque invecti, passim caedunt capiuntque: praeter vicecomitem caeteris captivis receptis. Florentinorum CCC. amplius caesi, ultra DCCC. capti. amplior ferme numerus ex parte Pisanorum cecidit. Sed oblatae pugnae, exutique castris hostis decus, victoriam illis dedit. Ea clades Florentiam nunciata, tanto moerore ac metu animos omnium affecit, ut velut in publico luctu tabernis clausis, vigiliae stationesque diu noctuque intente agerentur: hostem ad portas statim a praelio affuturum arbitrantibus. Sed ubi parvus amissorum numerus, caeterosque fuga subtractos Pisciam ex acie pervenisse Lucamque minime captam planum factum, resumpto spiritu ad publicas privatasque curas reditum. Itaque ducis praecipue inscitiam in culpa fuisse rati XX. viri quibus permissa respublica erat, abrogato illi imperio, Malatestam Ariminensium regulum ducem iterum creavere: datis praeterea ad Robertum regem lite-

ris, ut aliquem regiae stirpis gerendae rei ducem submitteret. sed regem senio gravem, et alias lucensis expeditionis dissuasorem a belli curis procul futurum veriti, eodem tempore cum popularibus suis qui in Gallia negociabantur egere, ut Gualterium Athenarum regulum, olim a Calabro florentinae rei praefectum, quem in Italiam venire fama erat, ad capessendam iterum rempublicam spe ac promissis invitarent.

Sed quo majore nisu Florentini in obtinenda Luca laborabant, eo magis e manibus eorum elabi ac effugere videbatur. Nam per id tempus legati a Roberto rege ad illos venere, ut Lucam ipsi remitterent postulantes. « eam urbem olim voluntaria deditione regis » esse: Gerardoque Lupidio ipsius praefecto » ab Ugutione ereptam. proinde quod inimici » abstulissent, ab amicis sociisque repetere. » Florentini hac denunciatione perculsi, cum intelligerent Robertum non tam cupidine obtinendae Lucae moveri, quam si negaretur deserendi socios causas quaerere; simul ne regis iram alieno ipsis tempore meruisse viderentur; simul spe aliquando illius animum pecunia emi posse: officio vincendum rati, se in socii atque amici regis potestatem omne jus quod in lucensem urbem obtinerent, transferre paratos

respondent: legatisque accipientibus Luca in Roberti regis jus iterum concessit. Secundum haec regii legati Pisas profecti, ut Luca tamquam regis urbe abstinerent, denunciant. Si ultra in obsidione armisque perseverent, regem jus suum bello persequuturum. Pisani eam Florentinorum fraudem suspicati, regi se per legatos facturos satis respondent. Interim quamquam media hyeme, adversisque tempestatibus, obsidionem acrius urgent: veriti ne in aestatem dilata re, simul cum Florentinis, simul cum rege pugnandum foret. Florentini cum et jure Lucam amisissent, et a rege tarda omnia essent, Mastinum querelis sollicitabant, qui tanti sibi bellum, curasque addixisset. Is ut eorum animos utcumque placaret, viam se reperisse ait Lucam facile obtinendi; si relicto Roberto rege, qui jam diu ipsos ludificaretur, ad Bavarum se vertissent. eum Tridenti esse, novumque in Italiam transitum apparare. quando veterum amicorum nutaret fides, sapientiae esse socios ex hostibus facere. ad eam rem sequestrem se ac internuncium futurum. Nec consilium quamquam praeceps ac temerarium displicuit. tanta obtinendae Lucae cupido animos eorum caecaverat. Igitur missi qui clam cum Mastini legatis caesarem orarent, ut veterum injuriarum oblitus florentinum populum in fidem,

amicitiamque reciperet. Nec Bavarus in rerum suarum desperatione, tam potentis populi societatem abnuit: statimque quosdam praefectos cum nonnullis equitibus Florentiam, pignus obsidesque validioris auxilii, submisit. Verum cum concepta in Robertum regem ira deferbuisset, ad saniora consilia reditum. veritisque ne eo exemplo Etruria universa ad ghibellinas partes transiret, haud ultra progredi placuit: Germanique ad caesarem irrito incepto rediere. Id modo a Florentinis ea temeritate promotum: ut motis suspicione mentibus, eorum praecipue qui in Roberti regno erant, creditae Florentinis negociatoribus pecuniae, uno tempore repeterentur: quare impeditis solutionibus, plurium societatum fides concidit: maximo reipublicae damno, nec iis quae peterent comparando. per quae, tantae pecuniariae rei angustiae extitisse dicuntur, ut vix nummus Florentiae reperiretur. Quare omnium rerum, ac praediorum maxime fundorumque pretia imminuta. Neque ideo Lucae, Pisanosque ab ejus obsidione amovendi cogitatio omissa. Itaque novo exercitu comparato, Malatesta duce, in lucensem agrum, ut anno superiore, per regionem ad Naevulam amnem transgressi, ad Granianum collesque feminarum, sicut antea, consedere. Ibi optimo

anni tempore vana spe corrumpendi Pisanorum milites consumpto, in irritum tanti conatus recidere, nec fraudis proditionisque suspicio aberat. quippe Malatesta Nulpho Montefeltrio Pisanorum duci affinitate junctus; segnisque duorum fere mensium in hostico mora, parum sincerae fidei argumentum habebantur. Itaque a magistratibus increpitus, ac in castra hostium irrumpere sine mora jussus. Advenere per idem tempus Germani praefecti equitesque a Bavaro missi, ut ante memoravimus: eademque celeritate Robertus rex, metu ne Tuscia ad ghibellinas partes transiret, Gualterium* Athenarum regulum, cum centum equitum manu submiserat: qui opportune sub ipsum praelii tempus affuit. Itaque universae Florentinorum copiae ad fanum Petri, cui campo nomen est, in plana deductae, mille quingentos ab hostium castris passus substitere: Pisanis praelium recusantibus, quamquam exciti evocatique essent. Florentini cum hostem ad pugnam elicere nequissent, Aesarem flumen vado transire conati, cum bina illius cornua, in quae divisis aquis fluebat, superassent, in tertio, magnitudine imbrium qui per eos dies large coelo inundaverant, ultra modum aucto, haesere. cum etiam Pisani objectis molibus cursu

amnis retento, aquarum vim auxissent. Itaque in insula intra alveum fluminis subsistere coacti, in rerum omnium inopia, hostibus praeterea jaculis missilibusque procul incessentibus, eam noctem egere: ligneo ponti fabricando intenti, quem aquis injicerent. Sequenti die cum ponte ex materia compacto universus exercitus transisset, Pisani ad custodiam munitionum quas ad Quirici collem pontisque aditum extruxerant, novos milites misere. certatumque parvis velitationibus inter eos Florentinosque, dum alteri occupare aditum, alteri defendere, irrumpentesque repellere conantur. Florentini ea noctė in collibus ad Aesarem stativa habuere. quo tempore cum maximi imbres extitissent, flumen praeter morem auctum, trajiciendi spem ademit. Pisanis adversae tempestates, quo minus fossa valloque, propinqua flumini prata ad prohibendum hosti transitum munirent, minime obstitere: novis insuper operibus munitione ad Quirici montem pontisque aditum firmata: copiisque in adversa ripa dispositis, quae trajicientes exciperent. Florentinorum exercitus cum quatriduum eodem loco in magna rerum inopia, tempus frustra terendo substitisset; tandem reddita serenitate, Id. maji post meridiem Bruschinus cum Germanorum cohorte flumen trans-

gressus, consertaque cum Pisanis pugna, caeteris trajiciendi audaciam fecit. Ejus exemplo Athenarum regulo vadum cum suis ingresso, caeterisque eodem ardore sequentibus, jam in justi praelii modum pugna excreverat: cum ultra mille quingentos equites, majorque peditum numerus e Florentinorum castris in alteram ripam evasisset: qui perrupto vallo, fossaque superata, cum Pisanis congressi eos in fugam vertere. Nec dubium victoriae omen Florentinis ea pugna fuerat, si caeteris copiis flumen transgressis, aut longius diei spatium superfuisset; aut saltem unde ipsi pepulerant hostem; eo loco substitissent. Sed cum nox praelium diremisset, trajectoque iterum flumine, Florentini se se in castra recepissent, Pisanis insequenti nocte disjecta opera, munitionesque restituendi otium fuit: novique imbres coelo lapsi vadum substulere. Quare desperatis rebus, duces Florentinorum motis castris, XIV. Kal. junii quo primum advenientes loco in plures ramos divisum transierant, iterum trajecto flumine, ne nihil omnino tanto belli apparatu egisse viderentur, Topalsium directo itinere, castra ad Cerrulium posuere. sed ejus quoque oppidi frustra tentata oppugnatione inglorii domum reversi, Praefecti Florentinorum qui Lucae intra arcem erant, cum jam

omnem subsidii spem abiecissent, deficientibus in dies alimentis, quae viritim maligne dimetiebantur, pacto ut incolumes exire liceret, ac quae vellent secum efferre, V. Id. julii augusta excessere, urbis arcisque possessione Pisanis relicta. Hunc exitum iterum habuit, pro obtinenda Luca Florentinorum conatus, magno privatim ac publice detrimento, nec minore dedecore. Quibus malis ipsi per se cumulum addidere. Nam Malatestae irati, cum Athenarum regulum ducem creassent, delata ei paulo post etiam majore potestate, is modeste primo et cunctanter, mox exuta reverentia, omnia regio more agere: in bona ac capita civium saevire: cunctisque terrori esse: praecipua in Joannem Medicem qui Lucae praefuerat ira; quem, praeter familiae splendorem, equestri insuper dignitate ornatum, lucensi praetura, patriaeque suae iterato principatu clarum; et, quod amplius est, innocentem, quasi negligenter munus obisset, securi percussit. Naddo quoque Oricellario et Russo Riccio peculatus damnatis: primo etiam paulo post e furca suspenso. quo factum est ut dum Florentini nimis avide alienam rempublicam concupiscunt, amitterent suam. Infelix ejus expeditionis exitus, eo acerbior Florentinis accidit, quod eorum exercitu ad Granianum

adhuc stativa habente, cum Pisani incertos belli eventus, communemque martem veriti, honestae pacis conditiones tulissent, superbe illam respuerant. Ejus pacis leges, florentinarum rerum scriptor Villanius, has fuisse memorat. Si Luca florentinus populus abstinuisset, Pisanos sex pensionibus CLXXX. millia pro summa quam Mastino deberent soluturos. tum quotannis, tributi nomine, stato D. Joannis die, in cujus tutela Florentini sunt, X. aureorum millia, bravium, equumque phaleratum, CC. aureorum, aut amplius, pretio daturos. Quae cum a plerisque, quibus sumptus magnitudinis, bellique incommodorum jam pertaesum erat, probarentur, Cennius Oricellarius, cujus filius inter lucenses praefectos erat, vir confidens ac nimius animi, insipienti consilio cum suis obstitit.

Extractam e faucibus Florentinorum Lucam, Pisani lucensis nominis veteres hostes hausere. Utque semper novarum dominationum initia, ab ostentatione clementiae bonitatisque ortum habent, haec cum lucensi populo pacta a Pisanis inita. ut Pisani augustam arcem, cum munitionibus ad Flexium, aditumque Pontis Tecti ad Auserem in annos quindecim obtinerent: inque earum praesidium dena millia annua Lucenses penderent. Lucenses suis legibus magistrati-

busque uterentur: nec Pisanis in vectigalia proventusque publicos jus ullum esset. Butum, Blentinam, Palariam, Vallemque Aesari adjectam Lucenses pisanae reipublicae remitterent. in easque leges tabulae publicae intra augustam arcem cum Pisanorum procuratoribus confectae, ac sacramento sancitae. Nec ea simulatio ultra quam lucensis populi fraenos manu arripuissent, duravit. Nam augusta caeterisque arcibus receptis, Pisani hostilem animum ac inveterata in Lucenses odia professi, senatus magistratuumque munia in se trahere, vectigalia occupare, prioribus exautoratis, novos praefectos ducesque constituere, gravia tributa imponere, quorum dilata solutio summam duplicaret: levibus causis in bona vitamque civium saevire; et quamquam senatus decemvirique in speciem mansissent, quoties cogerentur, in curia semper ex eis aliquem inter esse, qui verba vultusque notaret, ne quid usquam liberum, aut voce aut nutu excideret. pleni reis carceres; omnia delatoribus criminibusque obsessa. si quis liberius doluisset, statim quaestiones et tortor et carnifex. convenire, aut colloqui in publico remotis arbitris suspiciosum: et quicquid alter alteri in aurem insusurrasset, proditio erat. non queri, non tristi vultu conspici tutum. lacrymas quoque moeroremque

sub dominis esse. quin nec flere in secreto, sine periculo licebat: parietumque ac tectorum conscientia timebatur. Quippe tanta acerbitas extitisse dicitur, ut silentio noctis aut foribus assiderent, aut scalis domorum fenestris adreperent; admotaque aure, quos quisque arcanos cum suis misceret sermones avide exciperent. ut ea malignitas saepius deprehensa, vulgari proverbio locum faceret, supprimendam vocem, Pisanos adesse. Quarum rerum memoriae abolendae, non e publico modo, sed etiam e privatis aedibus omne scripti genus, in quo ea temporum acerbitas extaret, ablatum: librique etiam quaestionibus tormentisque conquisiti, ac extracti. tamquam animos ipsos, haerentemque altius eorum quae doleas memoriam simul evellerent. Quamquam haud omnino ea crudelitas valuit. nonnullique mansere occultati ac suppressi, qui laetioribus rebus impune vulgarentur. Eadem malignitate tabularium expilatum: amotaeque veteris potentiae gestarumque rerum gloriae indices tabulae: quaeque Lucenses praeteritis saeculis, pace aut bello digna memoratu egissent. quam acerbitatem non ferentes, plures nobiles familiae in alienas terras migravere. inter quas Obicii guelpharum partium principes. Quae, non premendi nobilem Pisanorum

gentem studio; sed ea qua apud scriptores fide reperi, famaque per manus tradita ad posteros pervenere, in annales retuli: tum ad praesentis felicitatis commendationem ex praeteritorum memoria, tum documento, ne quis nimium fortunae confidens, ea quae inhumane crudeliterque in alterum fecerit, in caput suum reditura aliquando obliviscatur. Nec ea tyrannide qui guelphae partis erant tantum vexati sed nullo amicorum hostiumque discrimine, in omnes ex aequo saevitum. Ghibellini interque eos Castruccii liberi ac Franciscus Castracanus, cum tota Antelminellorum gente, Pisanis praecipui adjutores ad obtinendum lucensem dominatum extiterant. Verum proditae patriae, externoque jugo addictae praemium dignum tulere. Nam prima Pisanorum cura eo incubuit, ut regiis juvenibus Henrico ac Valerano pulsis, pro paterno imperio exilium darent: qui ultionis avidi, se se in Insubriam ad Luchinum contulere. Pisanos domesticis suspicionibus vacuos, Florentini belli metus sollicitabat. Sed eo quoque soluti: cum regulo Athenarum foedere icto: qui premendis Florentinis intentus, ut alia cogitatione vacuus esset, in has leges cum illis societatem iniit. ut in annos XV. Luca Pisanorum esset: quibus expletis in libertatem restitueretur.

praetorem regulus arbitratu suo urbi daret: Pisanique, tributi nomine, Florentinis in singulos annos, cum argentea lance auro inducta, octo millia aureorum penderent. Florentini in quinquennium, toto Pisanorum imperio, vectigalibus immunes essent: iisque oppida ad Arnum, Naevulamque, ac praeterea fanum Feroniae Bargaque, quae Lucensium fuissent, remitterentur, Pisanis saeva dominatione Lucam vexare minime contentis, nisi per summam injuriam etiam imperio minuerent. Dum Pisani Lucam adhuc circumsiderent, Benedictus pontifex, magna sanctimoniae fama excesserat: cui Clemens VI. gente gallus, patria lemovicensis successor datus. Pontificium funus, per initia insequentis anni (1), regio cumulatum, Roberto rege sine liberis extincto, haerede Joanna Caroli olim Calabriae reguli filia relicta: quae multum a patris avique virtutibus degener, regnum libidine ac saevitia foedavit. Periit anno aetatis octogesimo. Rex clari apud posteros nominis, religionis, humanitatis clementiaeque laude: ac praeterea literarum gloria literatorumque favore insignis. quorum praecipue coluit Franciscum Petrarcam, tuscorum

(1) Ann. 1343.

latinorumque carminum ea aetate principem: quem et poetica lauro celebri pompa Romae decorandum curavit. Eam famam jam senex avaritia nonnihil laesisse visus est: quod vitium siculo bello apud criminantes excusabat. Interim Luchinus Insubrum regulus Henrici Valeranique Castruccii liberorum amore, in Pisanos bellum comparabat. quare ut ipsi quoque ad obsistendum validiores essent, cum Pistoriensibus foedus inivere. Prima belli flamma lunensem provinciam corripuit. nam Luchinus lunensi antistiti mille ducentorum equitum manu submissa, Aventiam, Massam, Carrariam, ipsamque Provinciae caput Lunam, commisso cum Pisanis praelio, lucensi dominationi abstulit. Inde Castruccii liberi in pisanum agrum transgressi (1), cuncta late incendiis rapinisque depopulati, ingentem cladem intulere: Vicoque Pisano, ac Salveto (2) oppido direptis incensisque, sub ipsas Pisarum portas se se ostentavere. paria Lucenses passi, qui Pisanorum dominatu oppressi, pro hostibus erant. Sed cum tam Pisae quam Luca validis praesidiis tenerentur; praeter populationes praedasque

(1) Ann. 1344.

(2) Colle Salvetti.

nihil ultra ausi, inani tentatae ultionis gaudio in Insubres rediere. brevique inter Pisanos regulumque, ac regios juvenes pax in decem annos sancita: iis legibus, ut regulo LXXX. aureorum millia praesenti pecunia numerarentur: ac ubi is jussisset, Pisani trecentos equites sumptu suo armarent. Antelminellis juvenibus tria millia in singulos menses penderent: ipsique vicissim, quae in Lucensi possiderent Pisanis remitterent. quae onera miseris Lucensibus incubuere: qui in dies graviori servitio praemebantur. Nam, suspiciosis semper tyrannorum animis, quodque merentur quotidie expectantibus, plusquam ternos e nobilitate convenire vetitum: quique contra fecisse arguerentur, in eos tormenta. tamquam novarum rerum auctores expediebantur. Si vero ad civilia negocia coire plures permitterentur, eos militum custodia servabat: sententiaeque inter pila gladiosque dicebantur. Neque tamen deerant qui patriae caritate intentam adeo tyrannorum curam fallerent (1): pluresque nobilium conspiraverant, ut quando jam libertas sperari non posset, saltem mitiores dominos, et quos ipsi fecissent paterentur. Itaque ad

(1) Ann. 1345.

Florentinos versi, quos jam excusso Athenarum reguli saevo dominatu libertas respexerat, quam occultissime cum iis egerunt, ut ad certam diem copiis ad lucensis agri fines Pisciam submissis, signo e speculis dato, Lucam propere iter intenderent. Interim ex municipiis quos maxime fidos nossent, ipsi in urbem aliis atque aliis temporibus excitaverant; ne qua suspicio subesset: ut eodem tempore ipsi in civitate, Florentini exterius Pisanos aggrederentur. processeratque fido inter tot silentio conjuratio, nisi nondum placati lucensibus divi ea consilia solvissent. Excesserant urbe ad consultandum de insidiarum ratione conspirationis capita: diversisque itineribus, ad vitandas suspiciones, ut condictum erat, ad Peram, qui suburbanus pagus est, in via militari convenere. ibi sine arbitris, ut ipsi putabant, de re ejusque ordine liberius colloquuti, spe magnique facti conscientia laeti, data acceptaque iterum fide, in urbem rediere. Forte Joannes quidam, cujus avus ex Pisano agro in lucensem migraverat, rustico operi intentus, dum agrum viae propinquum fodit, inobservatus colloquentium voces exceperat. quippe praealtis densisque vepribus, qui sepem agro praetendebant tectus, imprudentes fefellerat. Is veteris patriae nimium memor, ubi di-

gressos vidit, bipalio innixus, reputare secum audita animo coepit: variisque cogitationibus in diversa distracto, ea demum sententia sedit, ut occupandam indicio Pisanorum gratiam statueret. Itaque in urbem ad praetorem praefectosque contendens, rem atrocem afferre, praetiumque morae, ni audiatur, fore affirmat. Admissus jussusque dicere, totam conjurationem, quo audierat ordine, aperit. Pisanos universos caedi destinatos, in urbis imperium Florentinos accitos narrando, novitate rei attonitos metu implet. Pisani, quos index nominaverat comprehensos, exquisitisque tormentis excruciatos, de se fassi, ut conscios quoque ederent, expressere. Itaque omnes comprehensi, bonisque publicatis supplicio affecti: magno caeterorum terrore, quibus acerbitas ab iratis major imminebat. Rusticum recepta mox libertate, in ejus facti memoriam, eo quo steterat habitu, ad Pisanorum praetorium ad D. Justi aedem pingi placuit. quae imago cum tempore exolevisset, eam in palatio decemvirali renovari visum. ejus quoque pagi homines, ad hanc usque aetatem, aeri palatinae turris pulsando, anniversario liberatae a servitute Pisanorum urbis die damnati. Manetque apud posteros post annos amplius trecentos invidia recens; ut vulgo rustici durioris

ingenii ac prae caeteris subagrestes, Perani appellentur. Ad caetera mala quibus civitas praemebatur, inopia frugum accessit, quae insequenti anno (1) Etruriam universam adeo afflixit, ut passim homines ad silvestria olera insalubrisque saporis cibos compellerentur, pluribus etiam fame extinctis: quae, ut solet, pestilentiae mox subsequutae, veluti praenuncia extitit. Per id tempus Joannes Boemiae rex, qui Lucensibus olim imperaverat, interfectus est: cujus filius Carolus, magno, quamquam ob metum occulto, Lucensium gaudio, Clementis pontificis jussu, a septemviris romanorum rex adversus Bavarum electus est. qui paulo post repentina morte extinctus, vacuum novo regi imperium reliquit. Eodem anno Pisani Feroniae fanum in Versilia, Massam Carrariamque in Lunensi, quaeque Antelminellorum juris in feroniensi provincia fuerant oppida, a regulo Insubrum LXXX. millium aureorum pretio redemere. Post quae Facius Donoraticus, penes quem pisanae rei arbitrium erat, fato concessit, Ranerio filio vix pubere paternarum opum haerede relicto: qui non multo inde Pisanorum fraude veneno sublatus.

(1) Ann. 1346.

cujus morte ad Gambacurtarum gentem adversae factionis, Pisarum Lucaeque imperium pervenit.

Inter haec, non Italiae Tusciaeque modo, sed universo terrarum orbi funestus, annus MCCCXLVIII. aderat: quo tam atrox pestilentia extitisse dicitur, ut una pene generis humani pars ex tribus morbo absumpta credatur. Eam cladem biennio ante dirus cometes portenderat, qui non sanguineo, ut plerumque ejus sideris natura est, sed piceo luridoque fulgore minax coelum contristaverat. id malum in orientis plaga exortum, Scythas, Indiamque superiorem late funeribus pervagatum, cum pontici maris accolas, Armeniam, Aegiptum, rubrique maris gentes prope ad solitudinem redegisset; mox in Graeciam, ac inde Genuensium Cantabrorumque navibus (quae plerumque merx avaritiae est) Italiae invectum. eo morbo contactis, aut in inguine, aut sub alis tumores existebant: quos febris ardens, biduoque, aut summum triduo, mors sequebatur. quibusdam tam altus obrepebat somnus, ut cum excitari nequirent, soporem morti jungentes exanimarentur. Nec contagione modo corporum ea labes vulgabatur: sed vestes attigisse, corruptum assidendo aegris spiritum hausisse, lethale erat. credebanturque obtutus

ipsi occultum virus contra tuentibus immittere. nihil in medicis opis auxiliique reperiebatur: arte ac ingenio vi mali torpentibus, quodque maxime miserabile fuit, tantus pavor cunctos invaserat, ut filii, parentes, fratres, conjuges, amoris caritatisque nomina, horrori invicem essent. jacebant per urbium itinera aggestae cadaverum strues: mistique plebeiis nobiles, quos eadem fati saevitia confuderat, insepulti tristi spectaculo erant. Si cui sepulchri sors contigisset, is sine cantu ac facibus, aut alio funeris honore, tumultuario cespite obruebatur. quin saepe exequiae super suos collapsae defunctos funus fiebant, sepeliendisque sepelientes jungebantur. Quacumque transires, aut gemitus complorationesque in domibus exaudiebantur: aut vastum, aut triste silentium, neminem ne ad lacrymas quidem superfuisse indicium erat. Sed nil in tanta acerbitate crudelius, quam ludentium cantus, aut conviviorum strepitus: plerisque ita demum pestiferam labem falli posse opinantibus, si soluti curis per lasciviam et jocos genio indulsissent. Constat quibusdam locis vix denos, alicubi etiam, horrendum dictu! vix quinos e centenis superfuisse. quare tanta mortalium parte extincta, orbis terrarum vacuus pene incolis relictus. quo tempore potissimum mores

sacrorum ordinum corruptos fama est. cum senes quique disciplinae aliis erant morbus absumpsisset: reparandaeque soboli passim ac sine ullo discrimine boni juxta malique admitterentur. Lucenses eo malo ita affecti, ut quinta pars civium superaverit: caeteris communi clade desideratis. certe nullius anni tam frequens in veterum sepulchrorum titulis numerus occurrit. Cui cladi haud multum absimilem, post annos trecentos, ipsi spectavimus anno MDCXLVIII. quo, novo pestilentique morbi genere (quem a fibris cor in ejus piscis morem complexis, polypum appellavere) supra octo funerum millia in Libitinae rationes relata: flore nobilitatis, ac quicquid in civitate splendidum honestumque fuit, absumpto. ex quo non parva morum, disciplinaeque inclinatio, nec non artium industriaeque facta. Tot mortalium millibus pestifera lue sublatis, qui superfuerant, congestis in paucos multorum opibus, ditissimi evasere: templis quoque sacerdotiisque, morientium legatis infinito censu auctis Caeterum magna omnium rerum, ac tabularum praecipue facta jactura, cum et alia quam scribendi cura homines occuparet; et si quae forte memoriae prodita essent, purgandae civitati concremata sint: cum quodcumque servatum esset, in eo latere mors puta-

retur. Neque ideo Pisanis saevitia minuebatur: quamquam in eos prae caeteris lues saevisset; humidi crassique caeli, et insalubritate quoque gravis, aestuoso spiritu vulgarem morbum intendente. Nam gravioribus in dies tributis lucenses premebant, tantu acerbitate, ut plures ne adirent quidem propinquorum haereditates: rati satius esse semel totosque, quam toties per partes membratim perire. Aliud quoque compendium ea temporum iniquitas illis attulit: occupatis redactisque in fiscum bonis eorum, qui aut sine testamento decessissent aut qui nuncupati haeredes, aditione haereditatis morte prohibiti essent. Et ne quid usquam ab eorum tyrannide immune esset, Gulielmo civitatis antistite per eos dies defuncto (1), magno studio contendere, ut Nicolao cuidam ordinis praedicatorum populari suo id sacerdotium a pontifice obtinerent: coactis etiam pro imperio decemviris lucensibus, ut eum postularent. Sed Clemens, quem Pisanorum artes minime latebant, Berengarium lucensem, nobili, ut ferunt, Sandaeorum stirpe, qui tunc pontificum imperium in Tuscia curabat, Gulielmo suffecit; ut saltem, serva republica,

(1) Ann. 1349.

religioni sacrisque libertas constaret, neque eodem quo corpora animi jugo premerentur. Qua repulsa efferati, alia atque alia causa magis in subjectos saevire: et ut quisque defunctorum opibus crevisset, in eum crimina conferre, majore sceleris praemio. Quare plures torti necatique, bonaque eorum publicata ac in fiscum redacta, praetore Albizo Lanfranco saevo homine, et qui crudelitati eorum sufficeret. Per quod tempus etiam scelestum consilium de evertenda Luca, soloque aequanda a Pisanis agitatum; pluriesque a magistratibus ea de re in curia relatum, in sanctioris aerarii, cui Tarpeja nomen, tabulis reperio(1). Sed magnum illud ac caeleste numen, quam sibi sedem regiamque legisset, impiam mentem avertendo, perire vetuit. Attulit tot calamitatibus fesso terrarum orbi aliquod solatium, sacer saeculari religione annus quinquagesimus (2): magnaque celebritate, quod in tanta regnorum provinciarumque solitudine pro miraculo fuit, Romam undique concursum: ut aliquando CC. advenarum millia censa fuerint. confluentibus in sacram urbem, ut invicem sibi gaudio spectaculoque essent, ge-

(1) Tarp. num. 384.
(2) Ann. 1350.

neris humani reliquiis, acturisque divis gratias, quod mundo pene superstites fuissent. Nam Clemens pontifex, ut afflictos mortales recrearet, centesimi anni veterem religionem a Bonifacio VIII. novissime instauratam, brevioribus spatiis ad quinquagesimum quemque contraxerat. Neque tamen ulla, aut morbi calamitas, aut temporis sanctitas Italiae ac Etruriae praecipue populos a bellorum caediumque amore revocabat (1). Tuscarum civitatum populi, ac inter eos praecipui Senenses, Pisani, Arretini, Perusini, Cortonenses, quibus ambitio opesque Florentinorum, provinciae totius imperium affectantium suspecta, Joannem vicecomitem qui Bononiensibus imperitabat, in eos exciverant. isque misso cum copiis Joanne Olegio, Pistorio obsessa bellum jam Florentinis intulerant. Sed Gambacurtarum arte, qui clam cum Florentinis sentiebant, promissis auxiliis destitutus, ad pacis consilia animum adjecit: quo tempore Pistorium obsidebatur, ne Lucenses vicinorum armorum opportunitate novi aliquid molirentur, Pisani custodias duplicavere: aucto etiam exploratorum numero, qui omnium civium con-

(1) Ann. 1351.

silia rimarentur, colloquentiumque verba curiose captarent: veriti ne clam cum vicecomitibus starent. Quo tempore Luisium Bocellium Bononiam missum reperio, ut apud Bernabonem, qui Joannis nomine eam urbem regebat, Lucenses excusaret: significaretque, foedere impediri, quominus contra Florentinos auxilia submitterent. Nec Pisanorum suspiciones inanes omnino erant. Nam Franciscus Castracanus Castrucciique liberi, vicecomitum potentia freti, amicorum, clientiumque manum undique excibant: eo consilio, ut Henricus Valeranusque Lucam paternumque imperium, Franciscus feroniensem provinciam obtineret. qui jam collectis auxiliarium copiis, cum quaedam ejus provinciae oppida arcesque Florentinis ademisset, Bargamque quatuor mensium obsidione premeret (1), praelio ad Mozanum cum Florentinorum ducibus commisso, solvere obsidionem coactus incepto destitit. Eodem tempore, ob frequentes collationes angusta re nummaria, nummus argenteus Lucae jussu decemvirorum percussus: eique curationi Vivianus Sembrinus praefectus (2). ad pecuniariae rei angustias annonae quoque inopia accedebat:

(1) Ann. 1352.
(2) Ann. 1353.

agrorum cultura morbis intermissa, exiguoque agricolarum qui supererant numero, laboribus impare: adeo ut frumenti modius binis aureis aestimaretur. Et tamquam haec necessaria in victum impendia parva essent, Pisani insuper novis tributis civitatem hauriebant: coactis Lucensibus in praesidia custodiasque arcium sumptum facere. Cui erogationi alia etiam acerbior adjecta. Inter eos qui cum Ludovico Pannoniae rege, bello neapolitano adversus Joannam militaverant, Morialis eques Rhodius, gente gallus, latrocinantium societatum auctor extiterat Is praeda spoliisque vivere assuetus, hanc iniit rationem, ut etiam in pace belli fructibus non careret. Magna eorum manu comparata, quibus quoque rapto vivere solitis, sterilis pax invisa erat; quocumque venisset late agris vastitatem inferebat, nisi gentes urbesque eam cladem auro redimerent. Hic cum latronum turmis in Etruriam transgressus, cum magnum terrorem intulisset, Pisani XVI. aureorum millibus, duorum annorum pacem pisano lucensique agro, ab infenso homine emere. quam summam, cum beneficium commune esset, soli Lucenses pendere coacti. In tantis reipublicae tenebris, fine insequentis anni (1) nova

(1) Ann. 1354.

quaedam lux oriri visa: Carolo imperatore ad capienda augustalia insignia, uti cum Innocentio VI. Clementis successore condictum erat, superatis alpibus cum exercitu in Italiam transgresso. Viderant eum Lucenses juvenem admodum, dum una cum Joanne patre urbis imperium praesens adiret; ex eoque tempore, excelsam animi indolem, placidos mores, decoramque oris majestatem contemplati, magnum aliquod reipublicae suae bonum in illo adolescente augurati erant. cum praecipue oppidum sui nominis in edito colle inter Vivinariam Montemque Clarum, tamquam amoris pignus, Lucensibus reliquisset. Magnae quoque spes in augusta sitae erant: cui aliquot ante annos lucenses decemviri, virilis sexus prolem publice gratulati, precatique ut miseram civitatem in fidem suam reciperet, literas amoris humanitatisque plenas retulerant. nec parvum ea ad Lucensium libertatem momentum extitit. Caesaris in Italiam adventu Pisani praecipue pertimuerant: satis gnari augustorum praesentiam cupidis novandi res semper materiam extitisse: cum, sive antiquo jure, quod jam obsoleverat, utcumque retinendo, sive insita germanicae nationi avaritia, huc illucque dominatus ac imperia urbium pretio transferrent. Itaque Lucenses sponte libertatis avidos, et tunc acer-

bitate tyrannidis in ejus cupiditatem magis accensos, ne quid molirentur solliciti et anxii servabant. Intendebant metum Franciscus Castracanus duoque Antelminelli juvenes, quos lateri Caesaris haerere, paternae fortunae spe, nossent. itaque antequam in Etruriam descenderet, gratiam occupandam arbitrati, legatos ad Carolum Mantuae adhuc agentem misere: qui si pisanae reipublicae statu minime mutato, lucensis urbis dominationem praeterea ratam ipsis esse jussisset, LX. aureorum millia publice pollicerentur: quorum XV. millia praesentia; reliqua tribus pensionibus, ubi Pisas Romamque intrasset, atque inde redisset, soluturos affirmabant. Caesar promissis laetus, se parentem patronumque reipublicae eorum, nec minuendae ejus majestati sed augendae venisse professus, spe inflatos dimisit.. ipse vero Mediolani ferrea corona, ut moris est, suscepta, per initia insequentis anni (1) Apennino superato, hyeme summa Feroniae fanum, ac postero die Pisas intravit: magno honore, inque triumphantis modum a Pisanis exceptus. nec multo post augusta eum assequuta, iisdem honoribus excepta est: universa civitate, spectandi

(1) Ann. 1355.

deducendique studio obviam effusa. praeter ingentem peditum numerum, IV. equitum millia augustos prosequebantur: quorum fiducia caesar biduo postquam Pisas intraverat, cum Pisanorum magistratus in verba sua adegisset, claves portarum afferri sibi imperavit: singulisque portis binas militum suorum cohortes praesidium imposuit. tum kal. februarii tres Francisci Castracani liberos, Jacobum, Nicolaum ac Joannem equestri ordine, aureis calcaribus ac ense accinctos insignivit; Pisanis ad ea stupentibus, et quorsum verterent, ancipiti expectatione suspensis. qui metus etiam auctus, postquam caesar Lucam iter intendit. quare veriti ne eo praesente aliquid a Lucensibus moveretur, tres praefectos cum CD. militum manu qui in arcis praesidio essent, misere: pulsis in exilium quos maxime Castruccii liberis favere credebant; inter quos Antelminelli omnes, Puccinus Mugia, et Brunectus Malizardus fuere: qui tamen paulo post revocati. Igitur postridie idus februarii Carolus caesar Pisis profectus, cum magno procerum regulorumque comitatu per Julianum montem in lucensem agrum descendit. Advenienti centum patriciorum manus populi nomine praesto fuere. eos magna cohors puerorum sequebatur e flore nobilitatis, albis vestibus induti. Intravit ur-

bem sub aureo velo, universa multitudine obviam effusa, laetisque vocibus fausta illi acclamante. cum nemo esset, qui illum alio vultu animoque, quam ut restitutorem liberatoremque afflictae civitatis intueretur. A porta ad basilicam martinianam recta perrexit, ubi caelesti Vultu magna religione adorato cum aliquandiu in sacrorum pedum complexu atque osculo haesisset; inde in augustam arcem castruccianasque aedes divertit. in ejus honorem aperti carceres, nexique omnis generis soluti. nec quicquam omissum quod magni hospitis, et in quo tantae spcs sitae essent, gratiae demerendae facere posset. Nec multo inde augusta consequuta est, eodem quo caesar studio cultuque excepta. intranti urbem matronae affuere, quarum agmen ducebat Tubia Francisci Castracani uxor; quae eam deducendo assidendoque, quibus plurimum is sexus potest, precibus lacrymisque ab ea contendere, ut viro vindicandae a teterrima servitute civitatis auctor esset. Nec nobilis juventus officio defuit. nam in honorem augustorum armati in equis Trojam lusere (1): aliisque militaribus exercitationibus, oculos animosque spectantium detinuere: cum praecipue bacchanaliorum dies, majorem lu-

(1) Torneamenti.

dendi licentiam facerent. Abeuntibus magnifica dona, sericae vestes praesertim varii generis colorisque, quantum in ea fortunae acerbitate licuit, publice data. ipsis contra laetam civitatem, bonaeque spei plenam relinquentibus.

Caesare Pisas reverso, Pisani quibus ingrata erga Lucenses ea principis comitas; simul moti querelis, quibus illi saevitiam eorum apud augustum incusaverant, orantes ut tam grave jugum cervicibus suis demeret. tanto magis eos premere dureque habere. prima ab iratis injuria, sex millium indictum tributum extitit: simul ut promissam caesari summam ipsi solvendo pares essent; simul ut exhaustis Lucensium fiscis, recuperandae libertatis desperatio appareret: cujus non alia ab avaris Germanorum ingeniis obtinendae spes, quam largitio, et profusi in principem proceresque sumptus. Ad id decernendum vocato in curiam centum virorum consilio, praesente Pisanorum praefecto (Laurentius Forosemproniensis is erat) VII. id. martii, cum eo die nihil pervinci potuisset, patres noctem diemque insequutum usque ad vesperam sine cibo in curia retenti: Glanducio Mariano, qui ferociter liberiusque, quam sub tyrannis viventi tutum erat, in Pisanos invectus in eo consilio sententiam dixerat. prius fune torto, ac dein in exilium pulso. appare-

batque magnum aliquod facinus a Lucensium desperatione erupturum, nisi praefectus cum CL. equitibus a caesare in urbem missus, animos ad tranquillitatem revocasset. Quare eo suadente, trium millium summa praesens, reliquum in sex proximos menses decretum. Interim e Gallia ostiensis antistes a pontifice, ut regium insigne caesari imponeret destinatus, Pisas pervenerat. quare Carolus cum eo Romam profectus, ipso dominicae Resurrectionis die, pro vaticanae basilicae gradibus una cum uxore Anna augustalia insignia recepit: eodemque die urbe excedens, in Etruriam Pisasque rediit: Senis in itinere in potestatem redactis: cui civitati Nicolaum Aquilejensem antistitem fratrem suum praefecit. Inter caeteras curas, quae Caroli animo sederant, non postrema Lucae in libertatem vindicandae cogitatio erat: cum praesens acerbitatem Pisanorum oculis hausisset. Itaque biduo postquam Pisas redierat, decemviris significavit, ut tres legatos cum summa potestate ad se mitterent: cum quibus de republica ageret. Missi Mingus Spada, Joannes Honestus, et Nuccius Boccansochius. Hi occulte cum caesare colloquuti, rem ad exitum perduxissent; nisi egregium inceptum, quae deinde acciderunt, in irritum solvissent. Jam ex multo tempore duae factiones pisanam rempublicam

distraxerant: quarum altera Bergolinorum, altera Raspantum dicebatur. Bergolinos Gambacurtae ducebant: Raspantum Paffeta e Montis cutarii regulis princeps erat. Ejectis Raspantibus, eo tempore res ad Bergolinos pervenerat: Franciscusque Gambacurta, Pisis pene dominabatur. Caesar primo adventu apud Gambacurtas diverterat; ab iis regio apparatu cultuque exceptus, firmandae potentiae gratiam occupare festinantibus. sed cum Roma reversus, publicas decemvirorum aedes sedem legisset, Bergolinos eo facto alienatum principis animum interpretatos, magnus timor incesserat, ne opes ad Raspantes inclinarentur. auxerantque curam nonnulli Raspantum exulum restituti; haud dubia caesaris voluntate. ex quo magnae turbae exortae: quibus caesar implicitus meditata exequi non potuit. Dum haec discordiarum semina libertati Lucensium moras allatura Pisis aluntur, atrox facinus, ut domesticos insidiatores minuit, ita externum jugum, turbatis rebus, in longius extraxit. Per eos dies caesar, sive ne quid solidae Lucensium libertati obstaret; sive quod pisanos tumultus fovere credebantur, Franciscum Castracanum una cum Castruccii liberis dimiserat: hi pristinae potentiae recuperandae spe dejecti cum Pisis excessissent, Massam in villam a Castruccio extructam se contulere. ibi

Castracanus ad moderata consilia praeferoces juvenum animos hortari coepit: » ponendam » ambitionem, submittendamque fortunae men» tem. quaeque ea reliquisset, per otium quie» temque iis fruendum. jam dudum ipsorum » conatus exitum non habere. jam septimum » et vigesimum a Castruccii morte annum esse: » neque tot molitionibus quicquam promotum. » quare nil melius esse, quam ut, quem sors » dedisset, statu contenti, se aliosque in po» sterum ingentibus curis exsolverent: dum» que ipse in feroniensem provinciam in sua » oppida concederet, ipsi ad Insubrum regu» lum, paterni nominis favore jam pridem con» ciliatum, se conferrent. locum virtuti eorum, » seu pace, seu bello, apud potentissimum Ita» liae principem non defuturum. Lucam omni» no animis dimittendam, cujus imperio Pi» sani aeque ac Lucenses illos arcerent ». Infenso jam pridem animo in Castracanum Antelminelli juvenes erant. quod sibi ante apud Bavarum ambitu obstitisset: eamque nunc quietis otiique simulationem illuc spectare arbitrabantur; ut ipsis in Galliam Cisalpinam profectis, Lucae solus potiretur. Itaque gladiis eductis, hostem proditoremque appellantes vulneribus confodiunt: Jacobo ejus filio, ac Joanne e Romenae regulis, cujus sororem Franciscus

in matrimonium duxerat, eodem impetu interfectis: vulneratoque Azolino Antelminello Rogerii filio. Percussores peracta caede Fanum Feroniae se recepere, oppidum ipsorum nomini fidum: cadavera in urbem advecta, majorumque sepulchris ad D. Francisci, magno funeris honore illata: cui praeter octo cataphractos equites, XXX. atrati pedites, ac XII. feminae passis crinibus, pulla veste, more illius aetatis interfuere. Pene continenti scelere, imperator cum augusta conjuge Pisis prope interceptus. Sub ipsum primi somni tempus, seu casu, sive ut postea creditum, fraude, decemvirale palatium subita flamma correptum, late incendium fundere coepit. sed cum undique affluentium occursu propere restinctum esset, praeter curiam, quae collapsa in cineres deflagravit, caetera servata. Caesar cum augusta, inter primum tumultum, strato prosilientes, semisomnes seminudique, ac supremam horam adesse rati, vix beneficio familiarium evasere. Postero die, cum ejus facinoris auctores quaererentur, Bergolini, seu vero, seu falso, Raspantum criminationibus rei apud caesarem subditi. crevitque mendacio fides, postquam undique ad arma discursum; Germanique passim caesi: multitudine libertati fausta, caesari improspera acclamante. Sed cum caesariani tandem praeva-

luissent, Franciscus Gambacurta cum duobus fratribus Locto ac Bartholomaeo capti ac securi percussi. Petrus ex eadem gente dimissus, ac post principatum ad alia fata servatus. Eodem supplicio, alii quatuor ejusdem factionis principes, affecti: aedesque Gambacurtarum injectis facibus incensae ac eversae. Lucenses ad primam ejus tumultus famam, excutiendi jugum advenisse tempus rati, optimae spei pectus impleverant. illuxeratque ille ultimus servituti dies, nisi civium quorumdam perfidia felicibus fatis obstitisset. Tradiderant paulo ante Pisani caesari petenti augustam arcem; qui praefectum cum modico Germanorum praesidio, ad ejus custodiam miserat. Igitur portae turresque a caesarianis tenebantur: Pisanique jam collectis vasis, cum Joanne Marsilio qui ipsis praefuerat, in procinctu erant; ut ubi nox se primis tenebris intendisset, Pisas iter caperent. Novus arcis praefectus, ut ei caesarem in mandatis dedisse creditum, sub vesperam decemviris significavit, ut ad se certos homines cum potestate mitterent, cum quibus libertatis ratio iniretur. missi iidem qui ante Pisas ad caesarem ierant, Mingus Spada, Joannes Honestus, Nuccius Boccansochius. Sed praefecto majorem civium numerum postulante, lecti XXIV. e primoribus: quorum unum fuisse

Jacobum Sercambium patrem suum, Joannes qui haec memoriae prodidit, auctor est. Pisanis arce egressis, in ea tamquam Lucenses substiterat Bonagiunta Garzonius (quae familia nuper in civitatem adscita, nondum novae patriae caritate coaluerat) et Bardinus pisciensis. hi cum eum civium numerum, praeter morem in arce conspicerent, ecquid ea res sit, familiariter sciscitantur. homines antiqui patriaeque amantes, et qui de se alios aestimarent, nihil fraudis suspicati, (neque enim ullum esse qui tam horribilem servitutem evadere minime cuperet, verisimile erat) cuncta ordine aperiunt. » accitos se a praefecto, ut de com» muni libertate agatur. Lucam mox liberam, » Lucensesque in praesidio arcis jam futuros. » Eo nuncio, tamquam laeto, ut animum premerent, per simulationem excepto, ubi eos in palatium ascendisse vident, Garzonius Bardinusque recta ad Marsilium pergunt: orant obtestanturque, ut cum suis resistere, Pisanorumque nomen tueri velit. Garzonius praecipue cunctantis animum, spe ac promissis impellit: stipendium duplex ostentat: tria millia aureorum de suo appendit: obsidemque in caetera filium, quem habebat unicum, tradit. Tanta illi cura ne amitteret servitutem. Marsilius cunctis jam ad profectionem paratis, mutato

consilio restitit: Bardinusque ac Garzonius, conscensis equis perque arcem ad arma tumultumque excitandum discurrendo, in palatium pergunt. a praefecto rei novitate attonito, portarum turriumque claves efflagitant: negare minime auso: cum subita vis mali, nec satis valide ad obsistendum vires animum dejicerent. Recepta arce Garzonius Bardinusque e ghibellina turri signum dedere: quo e specula Juliani montis conspecto, statim Pisis armatorum copiae affuere. Lucenses tumultu qui in arce erat audito, simulque turres portasque arcis a Garzonio Pisanorum nomine occupatas, arma capiunt; itinera urbis obsaepiunt, muros scandunt, portas occupant, milites ex agro in urbem evocant; Caesari vitam ac felicitatem, tyrannis mortem ac saeva omnia ominantur: Pisanos e foro pellunt, pluresque obsistere ausos obtruncant: multis locis praelia miscentur, majore Pisanorum saepius, interdum pari utrinque clade: nisi quod illis saevitia major, non ferro ac caedibus tantum, sed etian flammis bellum gerentibus. Nam quo cives ab armis ad rerum suarum curam avocarent passim tectis subdiderant faces, civitasque veluti continenti incendio ardebat. quo tempore egregiae Dombellingorum aedes, totaque ea vicinia conflagravit. diem noctemque tumultuatum: non alia quam

captarum urbium solet, civitatis facie. cum intra moenia, hinc civibus pro libertate, hinc hostibus pro servitute pugnantibus, ubique caedes, rapinae, incendia, pereuntium gemitus, clamores dissoni, feminarum ejulatus, oculis auribusque ingererentur. Sed nihil aeque ac civilis discordia victoriae obstitit. nam plerique civium deserta patriae tutela, cum se ad Pisanos in arcem recepissent, fracti caeteris animi, spesque omnis libertatis recuperandae accisa: in iis fuere Conradus Podius Chelis filius, Nucius Berlesca, Nicolaus Orbitianus, Joannes Honestus Francisci filius, Fredus Martinius, Coluccinus Pierius, Puccinus Mugia, Franciscus Mordecastellus, ac plerique antelminellae gentis, quibus ob Castruccii memoriam, gravior ex libertate quam ex servitute metus. Neque tamen in tanta proditionis labe egregium exemplum defuit. Castruccius Mugia, Lucensibus per eam aditum daturus, alteram ex interioribus augustae portis occupaverat. sed a Puccino patre truci vultu minisque increpitus, eam deserere coactus; ubi id in Pisanorum gratiam factum agnovit, tanto dolore ac ira juvenis incensus est, ut stricto gladio in parentem iret. litassetque profecto ejus sanguine patriae libertatique, nisi ipse in arcem refugiens, furentis impetum elusisset. Ita ultione juvenis frustratus: quam clarus

ad posteros liberis interfectis olim Brutus, tam ipse parentis caede futurus. Per hunc modum revoluta iterum in servitutem civitas est: tanto arctioribus nodis implicito vinculorum nexu, quanto ea exuere tentasset. Qui principes ad capessenda arma fuerant, conspecta suorum proditione, ex urbe profecti, Pisanorum saevitiam veriti, alii alio exulatum abiere. plerique armati ad Subgromineum, consilium ex re capturi se communivere. sed cum Pisanorum copiae illo se contulissent, ne tentata quidem defensione, pacti ut salvis in patriam pateret reditus, se se dedidere. Dum Pisis Lucaeque hi motus turbassent, Altinus Castruccii ex furtivo conjugio filius, audax ingentisque animi juvenis, occasione arrepta, Montesulum veterem Antelminellorum dominationem, arcemque Argenteram occupaverat. Raspantes qui pisanam rem eo tempore obtinebant, veriti ne alia quoque Versiliae oppida, ac praesertim ejus regionis caput Feroniae fanum eo exemplo deficeret, caesarem orant, ut temerarium juvenem, aut imperio aut vi, si majestatem contempsisset, ad officium revocaret. Caesar armis utendum ratus, partem copiarum ad obsidendum oppidum mittit: situ et operibus validum, et ad diuturnam obsidionem tolerandam satis instructum. quippe dorso praealti

montis insidet, pari ferme inter Campum majorem Feroniaeque fanum spatio. locique ingenium nuper Castruccius aliis munimentis manu adjuverat: muris firmissimis, ingentisque operis arce extructa: cujus vestigia, veteris magnificentiae documentum, adhuc visuntur. Itaque frustra diu oppugnatum: tandem Altinus, cum ex nulla parte succurri posset, pactus ut incolumi esse liceret, dedititione facta tradidit: Pisasque profectus, a caesare contra datam fidem Pisanis deditus, paucos post dies securi percussus credulitatis suae poenas luit. quo mortis genere insequenti anno Henricus e Castruccii liberis natu maximus, fratris fatum sequutus, Bononiae periit: tamquam insubri reguli partium studiosus. Valerano post annum Mediolani morbo extincto. Hunc exitum habuit Castruccii soboles, toties paternum imperium recuperare aggressa, toties repulsa: fortuna paulatim lucensi libertati gradum struente: quae ne hoc tempore reciperetur, tot ipsius adversae ludibria obstitere.

Interim caesar dubia Pisanorum fide territus; quidque ab ipsis timendum foret proximo periculo edoctus: insuper Senensium tumultu motus, qui pulso ipsius fratre, jugum excusserant, collecta quam maximam potuit, pecuniae summa, in Germaniam reversus est:

Marcualdo antistite augustano qui Pisis praeesset relicto: receptis ante Luna Feroniaeque fano, tamquam Pisanae fidei vadibus, praesidioque iis imposito. Caesaris discessu, apud quem haud obscura Pisanis erant quae Lucenses infeliciter libertatis amore egissent, durius deinceps habiti (1) duplicataeque velut in fugitivos compedes. Paratis ultro materiam quoque saeviendi florentinum bellum praebuit. Florentini capto Petrabona lucensis agri oppido, cum V. peditum, duobus equitum millibus, in pisanum agrum transgressi, flammis ferroque late regionem depopulati, sub ipsas Pisarum portas cursus equorum hominumque, (quodque eo tempore maximum ludibrium habebatur) feminarum egerant. qua occasione cum Pisani plures Luca cives evocassent, tamquam eorum fidei crederent, re autem vera, ut obsides apud se retinerent, ne qui per eorum armorum tumultum Lucae motus existerent, eos in praesidio urbis suae habuere: missis e suo numero qui interea Lucae praesiderent. Sed cum Pisis magnae civium discordiae gliscerent; metusque esset ne res novarentur, famaeque ea de re ingentes essent:

(1) Ann 1362.

praefectus qui Pisanorum nomine Lucensibus praeerat, saevo imperio edixit, ut cives omnes a XIV. usque ad septuagesimum annum, Ghibellinis exceptis, urbe excederent. Itaque miserabili agmine pueri, mistique senibus juvenes in suburbana villasque concessere: Ghibellinis quoque ingratum beneficium remittentibus: cum loco libertatis esset, longe a tyrannis vivere. quo tempore in belli sumptus Lucensium fisci aliis atque aliis collationibus exhauriebantur: ita ut supra V. aureorum millia in singulos menses in tributum conferrentur; succumbente tantis oneribus civitate, cui non jam aurum, sed sanguis ac spiritus eliciebatur. Accessere his malis vulgati per Etruriam morbi, quibus Lucae Pisisque ingens numerus periit. praecipue ea lue, ut mollia, venenatoque halitui accipiendo aptiora, puerorum corpora afflata: pluresque intra quintum decimum annum extincti. novella reipublicae soboles, et laetiora visuri tempora, nisi mors invidisset. Sed morbis mortibusque acerbius Pisanorum jugum erat: itaque ei excutiendo, amantium patriae civium cogitationes, dies noctesque laborabant (1). Eorum duces Nicolaus Diversius

---

Ann. 1363.

Joannis filius, et Coluccinus Sornachius fuere: qui captata florentini belli occasione, cum illis agere coeperunt, ut consilia atque arma in Pisanos jungerent: eodemque tempore illi foris, Lucenses intus bellum gererent. quamquam ea non tam libertas, quam mitioris servitutis mutatio, qui proximus est ad libertatem gradus. Sed ea quoque consilia cum Pisanis patuissent, ad conquirendos conjurationis auctores versi; quo facilius arcana detegerentur, edixere, neminem consciorum moriturum, sed eam noxam pecunia expiaturum, fide publica interposita. Ea arte cum totius rei ordo, illiusque principes consciique patuissent, via fraudis inita, ut servata in speciem fide, in pecuniam simul vitamque saeviretur. qui affines ejus noxae reperti, X. millium aureorum multa damnati, quos duabus pensionibus, altera praesenti, altera intra quindecim dies solverent; qui solvendo pares non fuissent, capite luerent. quae summa cum plerisque exhaustis excussisque tot erogationibus intolerabilis esset; XI. eorum capti tortique a Bartholomaeo arretino Pisanorum praefecto, acerbo homine, et qui pisanae crudelitati satisfaceret, ac securi percussi ad D. Justi aedem: vitata fori lucensis celebritate, ne multitudo tot illustrium virorum supplicio irritaretur. positis etiam ad itinerum

aditus praesidiis, prohibitaque turba, ne quis spectator ultorque saevitiae adesset. quippe, ubi aliorum disciplinae justae poenae exiguntur, tutum est multitudinem admittere. tyrannorum mos in puniendo oculos fugere, poena tantum gaudentium; et quibus cordi supplicia non exempla. quibus autem redimendi se facultas fuit, in exilium pulsi. Florentini, quorum causa ea evenerant: indicio etiam, ut fama fuit, ab ea parte profecto, tot civium lucensium suppliciis moti: multoque magis iriti incepti dolore, Pisanum agrum ingressi, late cladem intulere: multis pisanorum, qui incondite obviam se effuderant caesis: pecunia etiam sub ipsis moenibus ad Savini fanum percussa. Sed praeterquam quod inane id extinctis solatium, calamitas Pisanis illata, haud dubie in Lucenses reditura erat: quibus iratis, quicquid accepissent cladis, sanguine praestandum esset: non minus damnosa injuria, quam ultione (1). Per id tempus, cum et florentinum bellum urgeret, Pisisque ob factionum studia res nutarent: Petrique Gambacurtae gliscente in dies potentia, metus injectus esset, ne iterum Bergolini rempublicam occuparent: Joannes Agnellus ex

(1) An. 1364.

mercatore divite exul, praecipuus Gambacurtarum hostis, ex Gallia Cisalpina revocatus, primo populi pisani dux, dein dominus creatus fuerat, occulto numinis consilio ita comparante. ut alienae libertatis oppressores, sponte sibi tyrannum imponerent. hic firmandae potentiae pacem necessariam ratus, res cum Florentinis composuit: iniquis, praecipue quod ad Lucenses attinebat, conditionibus. Nam inter saevae pacis leges, constitutum ut Florentinis triduum in lucensi agro populationes praedasque agere liceret. quare a Nuptiano usque Massagrogiam maritimamque regionem, cuncta ferro flammisque vastata; captivi homines abducti, pecora abacta, omnisque generis spolia, hostili more avecta. Illud etiam adversus Lucenses pactum, ut Petrabona Topalsumque; et alia quaedam oppida Florentinis remitterentur: centumque aureorum millia denis annuis pensionibus Pisani solverent. quam summam pendere Lucenses coacti: pace multo damnosiore quam bellum fuerat. Destinaverat Agnellus Lucae praefecturam Bindaccio Benetto, quo potissimum adjutore ad tyrannidem usus fuerat. sed sive id fraude ac deliniendo homini actum; sive post mutato consilio, Gerardum nepotem Lucensibus praefecit. is per initia mansuete et clementer habitis civibus;

postquam augusta arce potitus est, pisanum ingenium recepit, superbe ac contumeliose omnia agendo: ut vulgus palam in ambiguo nominis ludens, Lupum cavillaretur. Recepta arce, Joannes ipse magno stipatorum agmine Lucam intravit; advocataque concione, se tutorem parentemque urbis fore professus est: utque re se eum probaret, nova tributa non indicturum. quibus in speciem jactatis, nova corradendi auri, avaritiae ingenio, inita ratio. quippe mutatis tantum nominibus, donativi titulo X. aureorum millia exacta: annuis XX. imperatis, quae in capita solverentur. rei per se gravi accedebat exactorum acerbitas: ipsis Lucensibus utilitati suae obstantibus. Aderat Gerardo Quaestor Nicolaus Genovardus, qui tyrannis sibi conciliandis, quoties aliquis civium, ut cum praefecto transigeret, in arcem veniret; tamquam fortunarum cujusque gnarus, quid quisque conferre posset indicabat: aucta saepius per malignitatem aestimatione: ut plerique plus dimidio quam pro virili conferrent. nec is Agnello quaerendae pecuniae modus. Venit illi in mentem, in Gualterium et Franciscum filios, pene infantes (quippe major nondum septimum annum egressus) imperium pisanum ac lucense transferre. id magna celebritate in pisana basilica actum: utriusque populi

procuratoribus in verba puerorum adactis: ipso quoque sacramentum concipiente; ex eoque tempore se vice filiorum imperaturum, donec aetas adolesceret, professo. novorum principum celebrandis initiis, per plures dies convivia ac spectacula edita: praecipue belli simulacra, et armatorum decursiones actae. occulto omnium moerore, quibus immatura dominorum aetas longum servitium ominabatur: cum tamen palam ob metum laetarentur. In quae cum multum auri profusum esset; subsidium a Pisanis Lucensibusque, donativumque novis regulis flagitatum. nemine auso negare, cum cogi posset, haec publice extortâ. inde ad privatorum fiscos conversus, Franciscum Guinisium, qui tunc civitatis ditissimus habebatur: ut qui cum Dino fratre CC. millia aureorum in censu computaret, primum aggreditur: mutuique nomine, quae brevi redderet, VI. millia rogat. Is praesentia haud sibi esse causatus, sumptoque ad eam summam redigendam spatio, interim argentum omne, et quicquid pretiosi ad manum erat, religit; clamque Genuam avaro homine eluso, proficiscitur. qui ubi se derisum conspicit, praediis fundisque occupatis, uxorem ac liberos vexare adortus. paulo post dignitatem potentiamque hominis veritus, cuncta restituit. Cautior tamen ex ea re factus,

ne quis injussu urbe agroque excederet, edixit. qui sine commeatu comprehensus esset, centum aureorum multa ei irrogaretur. repertos extra militarem viam interficere fas esset. quo nomine plures damnati. Neque hic Agnelli cupiditas stetit. Priore conjuge extincta, quam ut fastigio suo imparem veneno substulisse creditum, altioris fortunae nuptias affectans, vicensis praefecti, cujus tunc clarum apud Romanos nomen, sororem Tarditam in matrimonium accepit. eam ut Lucensibus ostentaret, regio pene comitatu pompaque cum in urbem duxisset; praeter sumptum ei excipiendae factum, dena millia donum abeunti datum.

Domesticorum malorum sensus, a contemplatione cladium, quibus Italia iis temporibus premebatur, me diu abduxit. praecipuus earum fons romani pontificis absentia: quem jam dudum trans alpes avenionensi secreto abditum, Roma, Italaeque gentes moerebant. Quippe sacrorum majestas, summaeque potestatis reverentia passim obsoleverat; templa deserta ac ruinis deformia: omnia tyrannis plena: cum ut quaeque familia, praesertim in civitatibus pontificum imperio subjectis, divitiis aliaque fortuna praepotens, dominatum arripuisset. idque minus in caeteris mirum Roma ipsa fecerat: in qua Nicolaus Laurentii filius tenui

loco ortus, populum ad veterem rempublicam libertatemque exciverat. non satis valido purpuratorum auxilio, quos regendis populis, pacandisque rebus pontifices in Italia habebant. Quare Urbanus V. qui aliquot ante annos Innocentio successerat (1), Francorum rege Carolo, totaque Aula frustra reclamante Massilia solvens, magna navium classe, quam Joanna regina, Veneti, Genuenses, Pisanique submiserant, ad oras Italiae appulit: ingenti omnium gaudio exceptus: Lucensium praecipue, qui illum parentem patriae auctoremque libertatis ominabantur. quippe Italiae liberandae suscepisse iter professum, haud quaquam passurum, populum vetere in romanum sacerdotium obsequio, et donec spontis suae extiterat, egregia guelpharum partium fide notum, tam acerbae servitutis jugo diutius premi. Augebat eam spem, quod Agnellum ad eum in Herculis Labronis portu commorantem, officii causa cum magno comitatu profectum, tamquam tyrannum dubiaeque fidei hominem aversatus, statim e terra in navim se receperat. solvensque inde, Telamonem Senensium maritimae orae sinum concesserat. nec Lucenses in tanto re-

(1) An. 1367.

rum articulo cessabant. Nam Nicolaus Diversius Quartigianorum stirpe, Thomasque ac Joannes Obicii, alter Nini, alter Alamanni filius exules in Germaniam ad caesarem profecti, patriae calamitatibus expositis, illum in Italiam invitaverant: polliciti CL. aureorum millia Lucensium nomine, si illis Pisanorum jugum detraxisset. quibus caesar motus, Urbano pontifice insuper ad componendas italicas res illum evocante, (quae causa ut speciosior ac magis publica a scriptoribus ejus temporis Caroli expeditione obtenditur) junio mense superatis alpibus, cum uxore ac liberis Veronam pervenit (1); XX. millibus armatorum stipatus: cum jam Lucenses in itineris sumptus, quinquaginta millia ex pacta summa, illi coloniae Ubiorum solvissent. Ad eam famam, ut ex conscientia pavidae semper sunt tyrannorum mentes, Agnellus maxime pertimuerat: gnarus se Lucensibus Pisanisque juxta invisum. itaque Gerardo nepote Lucam propere misso, decretum a senatu minis terroribusque abstulit: quo imperium civitatis illi in XIV. annos prorogabatur. renovatisque poenis in eos qui sine commeatu urbe exissent, eumdem Gerardum

(1) Ann. 1368.

caesari obviam legatum misit. quem cum is Mediolani convenisset, ab eo cuncta prospera retulit: Agnelloque ac liberis Lucensium Pisanorumque imperium ratum esse jussum. caesare deliniendo homini cuncta liberaliter pollicente: donec praesens receptis arcibus, praesidiisque impositis, non ex tyranni voluntate, sed ex jure et aequo res componeret. Ea occasione Gerardus ipse equestrem dignitatem a Carolo praemium tulit: laetusque ad Joannem reversus, cum ei diplomata caesaris reddidisset; ille tum ostentandae rei, tum Lucensibus, si quam ex adventu caesaris libertatis spem cepissent, adimendae, ea pro concione in foro lucensi e superiore loco recitari jussit. Caesar Mediolano Parmam digressus, ut inde Apennino superato in Etruriam descenderet, Marcualdum antistitem augustanum (quem nostri patriarcham vocant) Lucam praemisit cum multis Germaniae proceribus, validoque octingentorum equitum comitatu. Is cum VIII. Kalendas septembris urbem intrasset, ab Agnello intra augustam arcem in D. Romani aedibus convivio exceptus, sublatis mensis a tyranno ghibellinae turris, portarumque urbis claves poposcit: denunciato, ut intra paucas horas palatium arcemque, deducto praesidio, vacuam traderet. attonitus ad ea Agnellus, nihilque contra ten-

dere ausus, cuncta obedienter fecit. quamquam Gerardo, cui ab juventa ferocior animus, adhortante, ut ad tumultum et arma iretur: aequis utrinque viribus; aut etiam ex eorum parte superioribus. Sed id consilium ab Agnello spretum, sive caesaris fiducia, eorumque quae spopondisset; sive metu, ne si ad vim et arma itum esset, civibus in auxilium Germanorum accurrentibus, multitudine opprimeretur. id statim a decemviris caesari per literas significatum: misso clam Parmam nuncio, obsoletis vestibus, nulloque in speciem cultu, ne eo proderetur: simul illum in urbem invitantes, ut egregium liberandi populi lucensis inceptum maturaret. Caesar lectis epistolis, nullo dato responso, nuncium purpurea veste indutum Lucam remisit: eo facto voluntatem suam testatus. inde Parma digressus, per montem Peregrinum in feroniensem provinciam descendit. cumque Castellione aliquot dies substitisset, per initia septembris mensis Lucam intravit. Advenienti ad VI. lapidem Joannes Agnellus aurea veste indutus, cum Gerardo aliisque Pisanorum principibus praesto fuit. quibus dextra levaque medium prosequentibus, aureo velo exceptus per D. Donati portam caesar ingressus, recta basilicam martinianam, ac inde in arcem augustam concessit. Agnello ipso mul-

titudinis studia incendente, ut augusto bene precarentur, promptis populi obsequiis, sed longe alia a tyranni mente: cum Lucenses non auctorandae servituti, sed tamquam praesenti liberatori plauderent. Jam superi quoque de liberanda urbe consenserant: quorum numen eo die non obscuro indicio patuit. Agnello caesarem deducenti trepidi ab Pisis tabellarii cum literis supervenere, quibus in ea urbe tumultuatum nunciabatur. Eas dum ab officio in palatium ad D. Michaelis reversus, in porticu qua aedes basilicae jungebantur resolvit. aliis atque aliis amicorum, noscendi quae allata erant studio, affluentibus, cum tabulatum nimio pondere subsedisset, ruina sua cunctos traxit, soloque afflixit. eo casu plures debilitati: inter quos Gerardus et Upessinus; quorum postremus etiam crus fregit. Sed omnium maxime Joannes Agnellus coxa fracta, insignem eam cladem reddidit. occulto Lucensium gaudio, qui tyranni fortunam una cum corpore praecipitem haud falso ominabantur. plerisque etiam caelestis genii iras agnoscentibus. nam Pisani marmoream basilicae turrim per invidiam demoliti, fastigium ejus submiserant: ferebaturque, sacrum aes eximii concentus, ex ea detractum Pisas avehere meditatos. Agnelli casu, non Luca modo, sed Pisae quoque ad liberta-

tis spem erectae. nam antistes Marcualdus in eam urbem praemissus, decemviros in caesaris verba adegit: resque a Raspantibus ad Bergolinos translatae: Gerardo, quem tyrannus ad continendos in fide Pisanos miserat, quique ei favebant, ejectis. Tyrannus Pisis amissis, cum de retinenda Luca desperaret, in tanto rerum suarum momento deprehensus, parumque tutum se in civitate existimans, intra augustam deferri voluit. ad quem decumbentem cum quidam e Pisanorum principibus venissent, ac cum fortuna simul mutata fide, illi superbe insultarent; fama est illum audacia ex desperatione sumpta, perfidiae incusatos, vetere etiam proverbio increpuisse; quo Pisanos ante omnes gentes proditione esse, vulgo jactatur (1). Agnello in ordinem coacto, Luca jam tyrannum, sed nondum tyrannidem evaserat. Nam Pisani adhuc imperium civitatis retinebant: et tamquam brevi relicturae, avaritia et crudelitas festinabant. IV. millium aureorum, quos caesari ob Agnellum Pisarum dominatu exutum penderent, tributum Lucensibus imperaverant. coactis in curiam patribus, cum senatuscon-

---

(1) Sopra il sole non è splendore;
Sopra il sale non è sapore,
E sopra il Pisano non è traditore.

sultum pervinci non posset, Pisani qui praesentes de more aderant, cum tumultum concitassent, res ad manus gladiosque deducta, multique Lucensium, utpote qui inermes essent, vulnerati, nonnulli caesi. pluresque Pisanorum saevitia absumpsisset, nisi Montisferrati regulus, qui ad caesarem salutandum venerat, inque publicis ad D. Michaelis aedibus exceptus erat, suos ad comprimendam vim submisisset. quorum ope palatium servatum. intenderatque metum, nocturnum tempus, omnia in majus augentibus tenebris: difficilique suorum hostiumque discrimine: cum omnia dissonis clamoribus streperent: minasque ac superbas voces ferrum ac vulnera exciperent. ubi dies advenit, Aldericus Antelminellus, seu patriae caritate, sive alia causa suberat, IV. millibus aureorum reipublicae mutuo datis, Pisanorum avaritiam explevit. sua laude minime fraudandus, nisi egregii facti laudem, structis paulo post libertati insidiis, insigni perfidia corrupisset. Ea pecunia, aliisque praeterea erogationibus, caesar adjutus, octobri mense, conjuge cum antistite Marcualdo Lucae in augusta arce relicta, Romam cum maxima exercitus parte ad Urbanum pontificem salutandum profectus est. inter publicas christiani orbis curas, quae maximos principes tenuere, de liberanda Luca mentio quoque inje-

cta: magnumque caesari, per se in eam voluntatem propenso, momentum extitit Urbani commendatio: qui patria cura, non tantum inania verborum officia, sed etiam subsidium L. millium aureorum impendit: ea summa, in tam angustis nummariae rei rationibus, tantoque rerum articulo, mutuo data. ut proinde eum Lucenses, tamquam auctorem parentemque libertatis, et viventem, et mortuum perpetuo coluerint. Pisani captata caesaris absentia, ut augusta arce recepta, illum Roma redeuntem excluderent, hanc fraudem iniere. per tenebras ballistis machinisque in turrim arcis, cui Ciconia nomen, malleolos aliamque materiam alendo igni aptam jaciunt. quibus cum tectum ac caetera tabulata subito correpta incendium excitassent; Pisani moto tumultu, Lucensesque incendii auctores clamitando, in arcem admitti illi extinguendo flagitant. Verum artibus eorum intellectis, cum qui intus erant insidiosam opem repulissent; reliquum noctis strenue in portis murisque vigilias armati obiere. Tentaverant quoque Pisani, pluribus civium Saminiatum adjectamque Arno flumini regionem amandatis, quos deinde per dolum interficerent, urbem exauriendo vires illius carpere: sed ea quoque fraus agnita simul vitataque est; unoque Bartholomaeo Guarnerio extincto, caeteri cum cae-

sare Lucam incolumes rediere: qui pridie Kal. martias insequentis anni (1) in urbem venit, cum Guidone portuensi antistite e numero purpuratorum, quem Urbanus pontifex ordinandae lucensi libertati comitem illi adjunxerat. Una cum caesare simul civitatis spes rediere. Statim jacta publicae salutis fundamenta, structique ad libertatem gradus. eorum primus edictum fuit, quo caesar intra arcem receptus, vetuit ne Pisanorum magistratus qui urbi praeerant, civium lucensium quemquam attingere auderent. alter paulo post priori adjectus; vectigalibus portoriisque, quae hactenus Pisani exegerant, reipublicae restitutis: Pisanis sub adventum caesaris cardinalisque tumultuari frustra conatis; Mocio Phocensi auctore, qui sordido sutrinae opificio victum quaerere assuetus, magnis se rebus inseruerat. Iis se quidam exterorum adjunxerant: qui praedis rapinisque ex urbis direptione animum adjecerant. Dum libertas paulatim asseritur, vindicatae pudicitiae caesar insigne exemplum praebuit. inter caetera mala servitutis, non postremum erat licentia in subjectorum corpora: crudelitatique ac avaritiae libido cumulus

(1) Ann. 1369.

accesserat. eam saepe auribus acceptam, caesar ipse cum augusta legatoque pontificis oculis etiam hausere. nam dum forte e palatii fenestra prospectum in subjectos urbi agros capiunt detestanda species hominis ingenuum puerum stupro foedantis objecta, aspectum mentemque incestavit. noxii statim comprehensi, peregrinique criminis, et a Lucensium moribus abhorrentis auctor repertus, Bartholomaei Arretini qui Lucam Pisanorum nomine regebat, nepos. Cum uterque damnati flammis essent; puerum, Simon Guiducius is erat, quem irati ejus familiae Divi impuro homini objecerant, immatura aetas, quippe decimum annum non egressum, supplicio exemit. accessere Guidonis cardinalis preces; quem Aldericus Antelminellus sequestrem adhibuit: grandisque pecuniae summa, qua judices empti. Arretinus viribus ante in foro exsectis, extra urbem ad palum religatus, congestisque circa stipulis vivus crematus est: avo nepotis carnificem esse coacto. qui paulo post pudore ac ira Luca excessit, successore accepto Pino Salvio catinensi, saevo homine, et qui in perniciem pestemque lucensis populi gesturum se magistratum jactaret.

Caesar ab ea injuria caeteras edoctus, maturandae libertatis consilium cepit. contumelia etiam Pisanorum accensus, qui praesidium

ab eo missum, intra urbem recipere detrectaverant. Itaque VIII. Idus aprilis, qui eo anno sextus a dominicae resurrectionis celebritate dies extitit; noctu vocatis intra augustam decemviris lucensibus, praesente Guidone pontificis legato; caesar procerum principumque germanorum medius, praeter ingenitam oris majestatem cultumque imperatorium, magnitudine quoque rei quam acturus erat augustior et major; nonnulla de tyrannide ac acerbitate Pisanorum praefatus, lucensem urbem agrumque, ab illorum jure ac potestate liberam immunemque pronunciavit: ita ut cives lucenses suis legibus arbitratuque in posterum viverent: eoque jure liberi essent, quo qui optimo. biduoque post, scilicet VI. Id. aprilis, octavus a dominica resurrectionis dies, qui deinde celebris sanctusque a posteris est habitus, literas aurea bulla signatas, ejus rei indices testesque senatui dedit: fundamentum ad hanc diem et columen lucensis libertatis. Ubi caesar dicendi finem fecit, tum vero decemviri, quique alii e principibus civitatis aderant, magnitudine gaudii velut attoniti, ad caesaris genua accidere, vestem manusque osculis fatigare, illum parentem conditoremque urbis, et alterum prope deum laetis acclamationibus efferre. ea fama strenue per urbem vulgata, omnes

passim velut lymphati per itinera urbis discurrere, omnia laetis clamoribus complere, in arcem palatiumque certatim confluere, laetum nuncium a certis auctoribus iterum flagitare, auditoque aures animosque aliorum satiare: tanta alacritate, ut eum natalem urbis diem haud temere dixisses. nec eum laetitiae impetum fregit tributum CC. millium indictum. summa ingens, haustaeque ac excussae tot collationibus civitati intolerabilis, nisi libertas salusque emeretur. Adjuvit urbis inopiam Urbanus pontifex L. millibus mutuo datis. Patavinorum regulus XV. millia, ferrariensis parem ferme numerum contulit. Florentini quoque, subigere armis toties frustra tentatam, rempublicam auro juvere, praebitis XXV. millibus, quae feliciori tempore redderentur. Nec egregiorum civium pro virili opes desideratae: inter quos Bartholomaei Michelius et Fatinellus, Henricus Sandaeus Buccavaccarum stirpe, Jofredus Cenamus et Orlandus Vulpellius, insignem adjutae libertatis famam posteris reliquere. Iis adjutoribus respublica fide se exolvit, aliisque deinde sumptibus par fuit: cum constet supra CCC. aureorum millia libertatem civibus stetisse. Lucensium gaudio par Pisanorum moeror, nec minor ex conscientia metus: itaque alii latebris se abdere, alii tenebris

tecti ex urbe diffugere: quorum tamen plures in fuga ab iratis caesi, tot civium peremptorum manibus victima extitere. Primum liberae civitatis operum, bellum in Pisanos fuit. eadem nocte (tantum morae pretium expectare diem visum!) arma in eos suscepta. Populus ferme universus, ultionis cupiditate, ex urbe profectus, caesariano equitatu prosequente, Pisanos, quique Lucensium ob eorum favorem invisi cum iis profugerant, in itinere consequuti, passim trucidant, nonnullos capiunt. arcem in Juliano monte vi adorti expugnant; qui intus erant, sine misericordia, ad unum interficiunt: superato monte pisanum agrum igni ferroque vastare adoriuntur. majorem cladem illaturi, nisi praefecti Germanorum pisano auro corrupti occursu coacti signa convertere, irarum pleni in urbem revertissent. Verum sequenti die intellecta fraude odium redintegratum. profecti nullo consilio publico; sed sibi quisque dux milesque; ac ira, dolor, expetendique ultionis cupido cuique pro virtute fuit; villas ad Aesarem diripiunt incenduntque. tum abacta pecora, avecta omnis generis praeda, caedesque hominum factae. Ea clade saevientibus, Nicolaus Diversius, Joannes Obicius, Rolandus Salamoncellus aliique Lucensium a Pisanis in exilium acti, cum magna

clientum manu superveniunt: quibusque priorum ira pepercerat, ruinis flammisque deformant; hominum pecorumque praedas agunt, victoresque patriae, cujus liberandae principes fuerant, se se ostentant: mutuo gaudio excepti. Inde ad recuperandum castellum ad Pontem Tectum, a decemviris missi, qui praecipue ob injurias Pisanis infensi. inter quos, qui haec memoriae prodidit, se fuisse scribit Joannes Sercambius: eam munitionem obtinuere. Nec exinde cessatum: sed magno peditum equitumque numero Lucenses Ascianum profecti, captum direptumque incendere. incolae captivi Lucam perducti. eadem Calcenses passi; direptionibus ac incendiis agro eorum vastato. multo majore etiam futura clade, nisi equitatus praeda onustus, retro conversis habenis, pedites deseruisset. qui dum praedandi studio disjecti atque inconditi nullo ordine vagantur, a turma militum externorum, quos Pisani ad arcendam vim submiserant, palantes excepti; dum per errorem equitatus sui partem reputant, quidam caesi aut capti, temeritatis suae poenas dedere. Sed cognito errore, raptim se se in globum colligentes, strenue pugnando illata acceptaque clade se in tutum recepere. Mutronis portum arcemque Pisani adhuc tenebant: praeeratque illi eorum nomine quidam

Campomajorensis, quem Turpem vocitabant (1). Is de arce dedenda appellatus, cum se imperata facturum negasset, Joannes Bulcianus Germanorum ductor, qui caesaris nomine Feroniae fanum obtinebat, ad obsidendum Mutronem ire jussus. sed cum res majoris operis videretur, quam ut ab uno praefecto cum praesidiariis militibus confici posset, caesar decemvirique una decrevere, ut omnis Germanorum equitatus cum urbana militia illuc proficisceretur. Profecti Lucenses Bechino Varanio (2) duce: cui se se plures nobiles, interque eos Aldericus Antelminellus, Joannes Obicius, ac Joannes Garzonius adjunxere. sed cum ad inhibendas Pisanorum excursiones pons ad D. Petri solutus esset; dum quidam morae impatientes, aucti vernis imbribus niviumque labe fluminis vadum tentant, vitae discrimen adiere: Nicolao Turdo etiam gurgitibus hausto. caeteri navigiis ratibusque in alteram ripam evasere. Quo tempore dum in citeriore fluminis ripa acies transitum opperiendo moratur, Pisani ad avertendum hostem in lucensem agrum ad Cerasummam transgressi, vicum incendunt. sed duces nihil ea clade moti, quo iter intende-

(1) Il Brutto da Camaiore.

(2) Da Varano.

rant, Mutronem ire pergunt. Positis circa oppidum castris, praefectus arcis, ni mature subveniretur, eam se traditurum pollicitus. simul signum proponit, quo Pisani periculi admonerentur. sed cum nullum terra marive subsidium appareret, Turpisque promissis non staret, fratrem ipsius cum quibusdam propinquorum accitum ante moenia statuunt, denunciantque se eos in oculis ipsius trucidaturos, nisi promissa exequeretur. quibus ille permotus, tandem arcem dedidit: ingressique Lucenses cum caesarianis, validis praesidiis illam firmavere. Mutrone in populi lucensis potestate redacto, legati ab Luna in castra venere, urbem totamque regionem dedentes: ejusque rei argumentum portarum claves attulerant. legatis benigne exceptis Bechinus Bolcionium cum suis equitibus ad accipiendam urbem ire jussit. Jam trajecto Versilia flumine, quod prope Feroniae fanum fluit, turmae equitum aliquantum processerant, cum Bolcionius, repente mutato consilio, subesse insidias vano metu arbitratus, signa retro convertit, copiis Feroniae fanum reductis. quod ubi a Joanne Garzonio ac Alderico Antelminello, qui in exercitu erant, conspectum, Lunam cum magna copiarum parte profecti, cum illam lucensi populo acquirere potuissent, malorum civium officio functi,

Bernabonis Insubrum reguli nomine occupavere. quo merito Antelminellus urbis regionisque praefecturam a regulo obtinuit. Laetam Mutrone recepto civitatem, tumultus inter caesarianos duces ortus turbavit. nonnulli in ea pugna caesi: inter quos praetorii praefectus a caesare ad sedandum tumultum missus, dum dempta galea ad pacem concordiamque infensos hortatur, os veruto trajectus occubuit: ad D. Romani ante aram maximam honorifico sepulcro conditus est. ex eoque tempore germani milites extra urbem in pisano agro tendere jussi. Cum per eum tumultum in palatio quoque caedes factae essent, interfectis ultra XIV, caesar cum aliquandiu Lucae subsistere in animo haberet, quo tutior illi sedes in posterum esset, novam arcem in ea urbis parte inchoavit, ubi deinde Paulus Guinisius Lucae rerum potitus munitionem extruxit; caesareamque appellari voluit. opus caesaris praesentia festinatum: sed eo in Germaniam reverso intermissum, murique intra XII. cubitorum altitudinem constitere: donec simul cum augusta arce dirui eos placuit: ne quis ultra libertatis insidiatoribus receptus esset. Interim ad laetum novae libertatis nuncium erecti cives, quos acerbitas temporum expulerat, alii Genua, alii Venetiis: quidam Lutetia Parisiorum, aut

Avenione aliisque regionibus in urbem redierant: civitasque paulatim exuere squalorem, ac veteris dignitatis speciem recipere videbatur: cum Carolus imperator, rebus ita poscentibus, reditum in Germaniam meditans, quod in palatii secreto coram paucis actum erat, in publico repetere decrevit: ut laeto spectaculo populum quoque impleret. Itaque VIII. Idus junii imperatoriis insignibus velatus, adstantibus decemviris magnoque regulorum ac principum numero, pro gradibus basilicae divi Michaelis in lucensi foro consedit. totum fori spatium conferta turba compleverat; cunctaque itinera, unde forum aditur, affluente multitudine fervebant. Basilicae ac circumjectarum aedium tecta onusta ac laborantia: matronaeque ac virgines, quibus novum gaudium formam commendaverat, e fenestris spectabant: cum caesar, ut ante, prioris servitutis mala gravi oratione conquestus, Lucam liberam immunemque ac civium juris, imperatoria potestate iterum pronunciavit: veterumque caesarum principumque privilegia ac immunitates ratas esse jussit. Publico beneficio privatum quoque adjecit, Francisci Ronghi filio quadrienni puero equite creato; cui honoris causa Caroli nomen imposuit. tum vero gaudium redintegratum, universa multitudine cae-

sari felicitatem vitamque acclamante. in ejus rei memoriam argentei nummi cum sancti Vultus libertatisque nota signati, adjecto Caroli imperatoris nomine. Id beneficium paulo post cumulavit, datis literis VIII. idus julii imperatoria bulla signatis, quibus regionem ad Naevulam amnem cum universis oppidis, tractumque inferiorem ultra citraque Arnum ad lucensem populum spectare pronunciavit. quas regiones Pisani nuper ut pacem a Florentinis emerent, a lucensi dominatione divellerant. Pisanis interea frementibus; quorum opera dum Lucae adhuc caesar moratur, pluries tumultus excitati; caedesque ac direptiones bonorum factae. crediturque iisdem curantibus, Bartholomaeum Fatinellum, Nicolaum Carum et Ponsardum Sornachium e collegio decemvirorum, veneno sublatos. Joannem quoque Cinellium, qui Mutroni praesidebat, promissis aggressi, ut proditione oppidum reciperent. sed is auro fidem praetulit, et ad decemviros delato indicio, jussus per simulationem a Pisanis missos intra oppidum excipere, octo ex illis e furca suspendit. caeteri post dimissi.

His peractis, caesar magno sui desiderio, aeternaque nominis memoria Lucensibus relicta, julio mense Luca excedens, trans alpes profectus, Guidoni cardinali reipublicae ordi-

nandae munus imposuit: dato ad augustam, Miniatensiumque arcem custodiendam modico praesidio: ac Joanne Bolcionio, ob loci opportunitatem, Feroniae fano praesidere jusso. Florentini, ubi caesarem cum exercitu in Germaniam rediisse intelligunt, Miniatis occupandi consilio, illuc duce Malataca regiensi profecti, castra circa oppidum locant. Cardinalis ad solvendam obsidionem non satis milite instructus, Bernabonem Insubriae regulum auxilia poposcit. nec Insuber gravate submisit: non tam illi juvando, quam majoris rei spe: mille nongentorum equitum manu, ducibus Janocto vicecomite et Andrea Rhodio in subsidium ire jussa. simul Aldericus Antelminellus praefectus lunensis, cum magno peditum equitumque numero affuit: Orlando Valerani filio, Castruccii nepote secum assumpto. Cardinali non de nihilo tanta Insubri liberalitas visa. Itaque, ne si intra arcem copiis receptis aliquid eae molirentur, par obsistendo non esset, extra moenia tendere jussit. Ubi opis Miniatensibus ferendae dies affuit, Insubres sublatis vexillis ad arcis portam, tamquam ostentandi sui causa in armis stetere. caeterum id consilium erat, ut uno impetu perrupta custodia eam occuparent, Lucamque cardinali eriperent. parumque abfuit, ne civitas vix e faucibus Pisanorum

erepta, iterum in servitutem relaberetur; nisi egregium civem reipublicae ea aetas tulisset. Fuit is Franciscus Guinisius, qui cum civibus quos secum in arce habebat occupata porta, eos aditu prohibuit. Insubres ea spe dejecti in prata muris continentia recedunt, ea mente, ut quicumque civium urbe exissent, eos interficerent. multorumque caede memorabilis ea dies futura erat, nisi quidam urbe egressi, intellecta fraude, citato cursu se intra moenia recepissent. conatique nonnulli sublicium pontem attollere, a custodibus, quos insubro auro corruptos fama fuit, prohibiti sunt. Quo tempore quidam excubitorum Massei Aitantis catena apprehensa pontem jam attollere incipientis manum amputaturus, gladium alte sublatum demiserat; nisi is reducto propere brachio ictum declinasset. regressi in urbem Insubres, aliis super alias causis, in Miniatensium subsidium ituros se negavere. Interim e lunensi provincia, oppidisque Antelminellorum, magnae peditum copiae evocabantur: redierantque Lucam Joannes et Bartholomaeus Garzonii, Pinus catinensis, Andreas Bujanus aliique Lucensium libertati infensi: plenaque omnia suspicionibus erant: quibusdam civium etiam ea labe minime intactis. Nec alii tota urbe sermones, quam Lucam in reguli pote-

statem concessuram. In tanto rerum discrimine optimum visum, ut Urbanus pontifex in quo spes omnis sita erat, quinam reip. status esset admoneretur. missus cum occultis mandatis Petrus Beatus senatui lucensi a secretis, minaces ad cardinalem literas retulit, quibus eum omni honore censuque spoliandum denunciabatur, si socordia ipsius Luca iterum in servitutem recidisset. ea denunciatione territus portuensis, omnia deinceps intentiore cura agere, Insubrumque insidias acrius cavere. Nec a decemviris interea cessatum. porticum foro imminentem Maphaeolus quidam insubri exercitus scriba cum modico praesidio obtinebat. ad eum dejiciendum, armatorum civium globus sub noctem missus. quos ubi Maphaeolus conspexit, quid sibi id temporis velint, rogat. audito, decemvirorum jussu ut loco praesiderent missos, superbe increpitos discedere jubet. ni pareant, ad unum trucidatum iri; simulque caeteros socios, qui in alia urbis parte tendebant, expedire arma, et in forum adesse imperat. Exceperat superbas voces Franciscus Guinisius, cui praecipue libertatis tuendae partes susceptae, una cum Matthaeo Goroque Carincionibus. quare statim ad Ugolinum Gallutium praetorem urbanum pergentes, docent, ni mature succurratur, urbem in ultimo discrimine esse.

Is, et muneris sui memor, et principum civitatis monitu, omnem familiam arma capere, seque armatum pariter sequi jubet. simul eos qui in praesidium fori missi erant, assumit; egressusque praetorio, cum facibus armatisque lustrare urbem instituit. coepto versus Arcum itinere Lippum Cortesinum catinensem ad Janoctum vicecomitem incitandum in Overardorum aedes pergentem capit. inde in vicum Antelminellorum progressus, simul Insubrum turmas armari, simul Antelminellos omnes stare in armis cernit: civibus etiam qui cum ipsis Insubribusque sentiebant pariter armatis, ac in fenestris aedium intentis paratisque, ut ad primum tumultum procurrerent. mox vicum aedesque Guinisiorum praeteriens, omnes pro libertate cepisse arma videt. paribusque animis et patriae caritate Boccellae, Moriconii, Obicii, Balbani reperti. quos praetor ad fidem constantiamque adhortatus, caeteras urbis partes lustrare, usque ad mediam noctem strenue pergit: dispositisque quae providenda erant, in praetorium redit. tum dimissis, qui cum eo fuerant, ad curanda corpora reliquum noctis quieti datum: Eustachio praesidii arcis praefecto interim vigilibus urbem obeunte; ne quid turbaretur. Nec quicquam in communi timore per tenebras motum: ancipiti per caliginem noctis,

suorum hostiumque discrimine. lumina tantum facesque collucentes, armatorum discursus, fremitus hominum equorumque, anxios suspensosque cunctos magni alicujus mali expectatione habuere. Nocte per hunc modum exacta, ubi primum diluxit, Franciscus Guinisius cum multis civium in arcem ad cardinalem profectus; supremam cladem civitati jam imminere, ni propere subventum sit, edocet: oratque ne in oculis suis, tanto labore, tanto impendio partam libertatem jugulari sinat. Dum Guinisius haec loquitur, jam Insubres quique illis studebant, in urbe tumultum conciverant: cujus fremitu et clamore in arcem perlato, Guinisius ad purpuratum conversus, attonita voce, actum, inquit, de te est (1): cuncti periimus. « jam » urbem hanc diripi inflammarique cernes: » omniaque clade, ac ruinis misceri. » His vocibus ille subito terrore correptus inopsque consilii, quid facto opus sit, exquirit. Tum ille, » jube, inquit, statim ad arma conclamari, ci- » vesque reipublicae periclitanti succurrere. » simul armatum militem qui in praesidio ar- » cis est, in hostes immitte. » Id impigre factum. jamque tota civitas, praeter paucos,

(1) Mons. voi sete morto.

pro tuenda libertate in armis erat. objectisque ad itinerum aditus quae prohibere transitum possent, expediti ac intenti hostem expectabant. Insubres cum Alderico forum occupaverant: satisque constat; si Antelminellus cum iis ex animo sensisset, Lucam in reguli potestatem venturam. sed dum privata ambitione res ad se trahit, suamque potius quam Bernabonis cupit, invitus servavit. Praecipua hostibus ad rempublicam libertatemque occupandam mora Guinisius erat. itaque illorum duces eam amoliendam rati, tollendum decrevere. sed bono lucensis populi fato accidit, ut ea consilia inobservatus Guinisii servus exciperet. qui propere ad dominum delato indicio, domum redeuntem ne praeter D. Luciae aedem transiret, admonuit: ibi enim insidias ad eum excipiendum paratas. ita vir magnus ac bono publico natus mortem evasit: famulusque in servati domini poenam ab iratis lancea confossus: ex quo vulnere tamen convaluit. multique circa per eum tumultum caesi vulneratique. Sed paulo post, impetu in hostes facto, cum cives superiores evasissent, dejecto Antelminelli vexillo; ipse per dolum captus, in arcem perductus, et in custodiam datus est. unde, postea magna pecuniae summa emissus, in Galliam Cisalpinam exulatum abiit: quieti

publicae diu infestus futurus. Duce amisso caeteri fuga dilapsi forum deseruere. pauloque post Janoctus ipse, e latebra intra quam se occultaverat, extractus, ac intra augustam carceri inclusus. Insubresque, nec Miniatensibus auxiliati, nec Luca potiti, suburbanis vicis ad D. Jacobi ad tumbam direptis, irrito incepto ad regulum rediere. Janoctus liberaliter habitus, et e custodia postea emissus, in Insubriam regressus est. Perque hunc modum Luca tandem tot malis periculisque defuncta, coelesti ope magis, quam humanis consiliis, solidam libertatem tenuit.

SECUNDI VOLUMINIS FINIS.

VOLUMINIS PRIMI

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
XIV	5	*redactum*	*redactam*
» XLII	» 17	*viris*	*viri*
» 23	» 22	invocatum	invocaturum
» 55	» 7	ac urbe	hac urbe
» 59	» 4	esercitu	exercitu
» 77	» 24	contingit	contigit
» 80	» ult.	*Annuum*	*Annorum*
» 100	» 8	generis	generi
» 126	» 5	erepti	erecti
» 136	» 19	adsistit	adstitit
» 182	» 15	primiores	primores
» 192	» 25	Sed Henricus	Sed Henrico
» 204	» 21	in illam	in illa
» 213	» 18	prophanorum	profanorum
» 218	» 12	lanugimen	lanuginem
» 362	» 8	clamidem	chlamydem